
ANTHONI·FVGGER·
1585

SUCCESSION DE
P.L. KUHNEN

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/epitomeregiiacve00gebw

# SVB VMBRA ALA rum tuarum, protege nos.



EPITOME REGII AC VETVSTISSIMI ortus Sacræ Cæſareæ ac Catholicę Maieſtatis, Sereniſſimi quoq; Principis & Domini, Dn. Ferdinandi, Vngariæ ac Bohemiæ Regis, omniumq; Archiducum Auſtriæ, ac Habsburgenſium Comitum, à Hieronymo Gebuilero ex antiquiſs. & receptiſs. Authoribus, nunc recens diligentiſs. in lucem ædita.

Cum gratia & priuilegio Imperiali.

CAROLVS Quintus, Diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, utriuſcꝫ Siciliæ atcꝫ Hieruſalem, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Tirolis, Flandriæ, Habsburgi &c. Cum ſemper nos ingenia, ac uirorum eruditorum ſtudia ſereno uultu atcꝫ fauore complexi ſimus, eorum tamen potiſſimum, qui pro Romani Imperij gloria, ac rerum a progenitoribus noſtris fœliciter geſtarum, perpetuitate aliquid ſcripſerunt, deſyderamus opera ſine mendis prodire in lucem. Multa em̄ ab illiteratis Chalcographis paſſim excudunt, quæ authoribus ſuis neuū quendam inducere ſolēt. Quocirca, cum nuper honorabilis nobis dilectus Hieronymus Gebuilerus, uir eruditus, tres libros Genealogiæ progenitorum noſtrorum, Principum Auſtriæ, non minus erudite q̄ ornate ſcripſerit. Noſcꝫ huiuſmodi libellos ac uigilias eiuſdem q̄ emendate, atcꝫ ſine eius diſpendio edi cupiamus. Motu idcirco proprio, & ex certa ſcientia ſancimus, ne quis impreſſor iam dictos tres libros, q̄ ille, cui per dictum Hieronymū ad excudendum dati fuerint, præter eius uoluntatem & ſcitum, imprimere, ac etiam alibi impreſſos uendere publice ſiue occulte audeat, per totum ſacrum Imperium, per triennium, a die æditionis eorundem libellorum numerandum. Itacꝫ ſi idem Hieronymus uel impreſſor, qui primum illos cum ſcitu & uoluntate ſua (ut prædictū eſt) excuſſerit, ab alio de nouo æditos, et publice ſiue occulte ad uendendum expoſitos inuenerint, ubicunqꝫ id contigerit, per ſe uel per ſuos recipere, & in ſuam utilitatē conuertere poſſint, implorato tamen ordinariorum Iudicum & Officialium, cuiuſcūqꝫ ſtatus & conditionis exiſtant, offitio & adſiſtentia, quod illi abſcꝫ cōtradictione & impedimento quocūqꝫ præſtare debent. Quos etiā ſic ad præſtandum illud tenore præſentium aſtringimus, ſub pœna grauis Indignationis noſtræ, ac mulcta decem Marcharū auri puri, quas tam trāſgreſſores Chalcographi, q̄ negligentes Iudices & Officiales, pro cōſeruatione huius Priuilegij, requiſiti toties, quoties confractum fuerit, incurrere uolumus. Quarū medietatem Fiſco noſtro Cæſareo, reliquam uero partem iniuriam paſſorū uſibus decernimus applicandam. Harum teſtimonio literarū, ſigilli noſtri munimine roboratarum, Datum in ciuitate noſtra Imperiali Noremberga, die XV. Menſis Februarij, Anno Dn̄i M.D. XXIIII. Regnorum noſtrorum, Romani V. Aliorum uero omniū VIII.

Ferdinandus Archid. Auſt.
C. M. Imper. locum tenens.

Ad mandatum Domini Imperatoris
in conſilio Imperiali.

# FERDINANDVS

DEI GRATIA PRINCEPS ET INFANS HISPANIARVM, ARCHIDVX Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Locumtenens Imperialis generalis. Honorabili nobis dilecto Hieronymo Gebuilero, artium liberalium Magiſtro, Literariæ pubis Hagnoenſis Moderatori.

HOnorabilis, dilecte, Epitoma Regii ac uetuſtiſſimi ortus Habſpurgenſiũ Principũ, atq; Auſtriæ Archiducum noſtrorũ maiorum, q̊d multo comportaſti labore, nobis per te oblatum, & uidimus libenter, & legimus auide. Illud autem adeo nobis placuit, ut iudicauerimus dignum eſſe, ꝙ ad plurium notitiam perueniat, proinde remittimus laborem illum tuum, nobis admodum gratum, ad te, cupiẽtes, ut id operis per Chalcographũ in multa exemplaria excudatur. In quo nõ minus tua, atq; antea, nobis grata eſt futura opera atq; ſtudium. Quo & nitidior & emendatior exeat libellus. Datũ Spiræ, die uigeſima Iulii, Anno M. D. XXVI.

Ferdinandus.

Ad mandatum Sereniſſimi domini Principis propriũ.

Iacobus Spiegel.

V[t] Harroch, Cancellarius.

# SERENISSIMO

PRINCIPI, AC DOMINO, DN. FERDINANDO, VNGARIÆ AC Bohemiæ Regi, Hiſpaniarũ Infanti, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ ac Carinthiæ, Comiti à Tyrolis, & ab Habsburg &c.

Hieronymus Gebuilerus Argentuarienſis.

S. D.

*Ageſilaus, dux Lacedæmoniorum.*

NON IGNORAMVS IN literas relatum, Sereniſs. Rex, Ageſilaum Ducem Lacedęmoniorũ, ne quis imaginem ipſius ullo modo exprimeret, perpetuo cauiſſe edicto, quod opinaretur à nullo prorſus artifice ſingularẽ eius formam abſolui potuiſſe. Alexandrum quoq; Macedonem, cognomento Magnũ, ſeſe à pluribus q̃ ab Apelle Coo pictore, Polycleto ſtatuario, & Pyrgotele ſculptore, claſſicis ea tẽpeſtate opificibus, effingi uetuiſſe, ne ſcilicet tanti Regis effigies à multis paſſim artificibus expreſſa contaminaret̃. Quocirca & huic libello noſtro tot clariſſimis S. C. T. progenitoribus

*Alexander, rex Macedonum.*

genitoribus, cum Romanis Imperatoribus ac Regibus, tum principibus barbarie forſan ſua plus tenebrarum, q̃ lucis allaturo, ne Vulcano potius, q̃ Phœbo committeretur, haud temere ſubtimuiſſemus, niſi id oneris Regiæ Celſitudinis tuæ iuſſu, (cui mos om̃ino gerendus erat) ſubiuiſſemus, nullius non Theonini dentis rabidos morſus facile declinaturi, modo lucubrationes noſtras S. C. T. gratas eſſe ſentiamus: quod tũc indubitato fore coniicimus, cum Illuſtriſſima Claritudo tua iſtic Regii ac uetuſtiſſimi ortus maiorum ſuorum, Habsburgenſium Comitum, & Auſtrię Archiducum nomina, ad duo fere annorum millia ex ordine compererit deſcripta. Troianis nanq; Regibus nobiliſſimæ Habsburgiæ domus originem acceptam ferentes, in primo huius Epitomes libro ultimi Troianorũ Regis, Priami genus, uſq; ad Noam Patriarcham Beroſum imitati, ob oculos poſuimus, adiunctis etiam Troianorum, Scytharum, Sicambrorum, & Francorum Regum, Habsburgiæ domus progenitorum, unius & quadraginta nominibus, VVaſthaldum Scytham, & Hunibaldum, eius gentis ſcriptores ſequuti, Pharamundi quoq; Franconiæ ducis poſt Francorum interregnum electione, a nullo Gallo hactenus, ut geſta ſit, cõſcripta, calci eiuſdem primi libri annexa. Cuius Pharamundi res præclare geſtas, atq; propaginem, e qua Orientalis Fran-

*Primi libri argumentum.*

*Vuaſthaldus Scytha, Hunibaldus.*

ciæ ſeu Auſtraſię Reges, Otbertiq́ primi Habsbur gii Comitis, progenitores deſcendere, ueráq́ Habſburgenſis comitatus tituli originem, ſecũdo huius Epitomes libro congeſſimus, adiectis duodecim Habsburgenſiũ Principum nominibus, è quibus Rudolphum primum eius gentis Romanũ Regem prodiiſſe, indicauimus: rerum ab eodẽ Rudolpho inſigniter geſtarum, in fine eiuſdem ſecundi libri haud quaquã obliti. Tertio deinde libro, Auſtriaci ducatus in Albertum, Rudolphi Cæſaris filium, translationem, omniſq́ poſteritatis eiuſdem fata uſq́ in præſentem diem enodauimus, teſtimoniis fidedignis ſuffulti, quæ omnia ſtrictim hoc breuiario nũc demum duntaxat delineata, in Auſtriados noſtræ quinq́ libris (Deo auſpice) penicillo quaſi & coloribus olim copioſiſſime exprimemus, modo Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ fauor & patrocinium nobis adſpirent. Hunc quidem libellũ, multis lucubrationibus noſtris cõgeſtum, atq́ iam pridem ante triennium, non citra ingentes ſumptus in multa exemplaria minus auſpicato excuſum, nõ dolere nequiuimus, quem etenim & laudi & commodo nobis fore ſperaueramus, tot ſolœciſmorum neuis horridum, tot item minus diligenter obſeruatę orthographiæ uerrucis diſtortũ, atq́ ab authographo noſtro Chalcographorũ incuria, adeo degenerantem offendimus, ut nos illius ueluti monſtroſi, aut ſub

*Secundi libri argumentum*

*Tertij libri argumentum*

aut ſubdititii fœtus pudẽtes, Regiæ Maieſtatis tuæ oculis eundem hactenus offerre diſtulerimus, donec diligentiori lima adhibita, multis etiam ſuperfluis Auſtriados noſtræ libris magis cõgruentibus reſectis, nunc demum & correctior & terſior, Sereniſſimę Maieſtatis Tuæ conſpectui prodiret uidendus. Eundem igitur S. R. M. tua pro innata magnanimitate ſua æquo animo ſuſcipere, ac ſi quid indocte, aut minus eleganter ſcriptum illic reperiatur, boni æquiq; conſulere, nos quoq; clientulorũ ſuorum rationario inſcribere non dedignetur, ea ſiquidem beneuolentia Illuſtriſſimæ Serenitatis Tuæ animoſiores redditi, alacriori mente Auſtriada noſtram iam pene abſolutam in medium quoq; producemus. Nos interea, & omnia noſtra Regiæ Celſitudini Tuæ, quam & animo & corpore in Pilios annos ſanam precamur, offerentes mancipatiſſimos. Datum Hagnoæ, Anno Domini ſeſquimilleſimo XXX. Kalendis Iunii.

# CAP. I.



NOA, qui & Ianus, humani generis poſt diluuiũ reparator, complura mortalibus filiis ſcilicet ac nepotibus ſuis ueri Dei cultus inſtructione, philoſophiæ ad animi culturam, agriculturę quoq; pro corporis neceſſitate ſubleuanda traditione, beneficia conferens, uariis à ſcriptoribus cognomentis celebratur. Nunc enim Vertumnus, modo Oenotrius, nonnunq̃ Pomonus, Chaos, & Semen mũdi appellatus, ubi noningentos & quinquaginta annos uixerat, moritur poſt cataclyſmum, Annis CCCL. ab ortu uero mundi, annis 2612. Hunc Noam uetuſtas ipſa ſub Iani nomine bifrontem figurans, haud uulgarẽ uiri prudentiam plane demõſtrauit, altera inſuper manu ſceptrum, altera ſolem geſtat, quod primus omnium regios faſces, & regnorum moderamina inſtituẽs, annum ſolis motu per duodecim menſes diſtinxerit: quem Clauigerum quoq; Poetę dixerũt, quod Ianuarius menſis ab eo denominatus, priorem annum excluſiue terminans, ſequenti aditum faciat: niſi eius rei

*Noæ traditiones.*

*Noæ diuerſa nomina.*

cauſſam

cauſſam ad Iani templũ referre malueris, quod pacis tempore clauſum, belli uero tempeſtate apertis foribus conſpiciebatur. Cætera Iani cognomenta noſſe deſyderans, Vertũnianum Propertii carmen perlegat, ſuper quo plura primo Auſtriadis noſtrę libro referemus.

## CAP. II.

CHam, minimus natu filiorum, quos ante diluuium Noa genũerat, cui & Zoroaſti nomen fuit, præter naſcentium morem (Solino authore) natus mox riſit, nõ ſine peruerſæ indolis argumento: ſumma etenim impietate, in parentem uino ſepultum, uſus. Vetitæ magię plus æquo ſtudioſior, atq; idololatriæ plantator, Bactrianorũ regno potitus, à Nino Babylonico tandem interimit, Anno ab aquis cui præter Oſirim innumeram prolem fuiſſe, Beroſus teſtatur, Nimrothum ſiquidem Babylonicũ, Saturnum ex Chuſo Ioue Aegyptio habuit nepotem.

*Idololatriæ plantatio.*

## CAP. III.

OSiris, præfati Chami, ſeu Aegyptii Saturni ex Rhea filius, quem Moſes Meſraim uocat, Aegypti rex conſtitutus, uxoris ſuæ adminiculo, eius regionis hominibus agriculturæ uſum tradens, ab eiſdem poſt fata Deorum albo adſcriptus eſt, à Typhone Gigante occiſus, Anno ab aquis D. L.

Mundi uero duodecimo ſupra ſeptingenteſimum & bis milleſimum. Huius Oſiridis meminit Tibullus Poeta, dicens.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitauit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaq; non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere uitem,
Hic uiridem dura cedere falce comam.

## Cap. IIII.

*Libyus.*



HErcules, Oſiridis ex Iunone ſeu Iſide filius, quem Moſes Libyũ nuncupat, innumeris rebus præclare geſtis, cũ totam ferme Europã tyrannis exoneraſſet, mortẽ obiit, Anno ab aquis DC. XXVII. Mundi uero, octuageſimo nono ſupra octingenteſimum & bis milleſimum. Non inficiamur complures apud diuerſos ſcriptores reperiri Hercules, cum tres & quadraginta fuiſſe, Varro in literas retulerit: huic tamen Aegyptio Herculi ut Deo ſacrificabant, ut in primo humani generis ortu nato.

Cap. V.

## Cap. V.

TVſcus, ex Ararxa Herculis filius, primum in Scythia Tanaide, poſtea parentis ſui iuſſu in Italia regnans, Tuſciæ regioni nomen indidit, mortuus Anno ab aquis DC. LII. Mundi uero decimo quarto ſupra noningenteſimum ac bis mileſimū.

## CAP. VI.

ALtheus, Tuſci Regis filius, Ianigerarum ſeu Tuſcorum Rex, naturæ ſatisfecit, Anno ab aquis. DC. XCIII.

## CAP. VII.

BLaſchon, Althei filius, Electrã Athlantis filiam uxorem ducens, Ianigenis ſeu Tuſcis a patris interitu imperauit, mortuus, An. ab aquis XCIII. Cui Iaſius filius ex Electra natus, in regno ſuccedẽs, tandem a Dardano fratre ſuo, ubi iam quinquaginta annos Tuſcis imperauerat, interimitur. Anno ab aquis DCC. IX.

## CAP. VIII.

DArdanũs, interempti Iaſii frater, & Blaſchonis filius, culpæ conſcius, ex Tuſcia Italiæ ad Teucrum Phrygiæ regem confugiens, Dardaniam extruxit. Anno mundi, quadrageſimo ſeptingenteſimo ſuper ter mileſimum.

## CAP. IX.

ERichthonius, Dardani regis filius, patris morte in Phrygia regnauit, Anno mundi nonageſimo ſeptingenteſimo, ſupra ter milleſimum.

## CAP. X.

TRos, Erichthonii Dardani regis filius, paternũ regnũ adeptus, Troadis nomen illi impoſuit, circiter annum mundi XXX. octingenteſimũ, ſu⁄ (per ter milleſimũ.

## CAP. XI.

ILVS, Trois filius, campeſtria Troadis ſortitus, Ilium urbem condidit, Anno mundi, nonageſi⁄mo octingenteſimo, ſupra ter milleſimum.

## CAP. XII.

LAomedon, Ili regis filius, poſt patrem in Phrygia regnans, ab Hercule interimitur, Ilio deua⁄ſtato, & Priamo capto. Anno à condito orbe, ſexa⁄geſimo noningenteſimo, ſupra ter milleſimum.

## CAP. XIII.



PRiamus, Laomedon⁄tis filius, Ilium ab Hercule dirutum reſtaurauit, quod tamẽ ob Helenæ ra⁄ptum à Menelao & Aga⁄memnone, Græcorũ præ⁄ſidio, igni ac ferro penitus ſolo æquatur, Rege Pria⁄

mo cum

mo cum omĩ prole ſua uirili occiſo, circiter annum mundi uigeſimum ſupra quater milleſimum.

## CAP. XIIII.

DIruto iam funditus Ilio, atq; in cineres, Aeneæ ac Antenoris proditione recepta, conuerſo: Troianorũ reliquiæ pars, Aenea duce, in Italiam, pars Antenora ſequuti, in Venetorum oram deuenerũt, colonias illic extruentes. Cæteri uero cum Priami nepotibus per Helleſpontum, & mare Euxinum ad oſtia Danubii, & Mæotidos paludis littora migrauere, ubi ſubſidentes ex Priami nepotibus Hectore genitos, quos ſecum habebãt, Regem ſibi deligunt, in cuius ſtirpe ac poſteritate regalis horũ Troianorum Scytharum dignitas ſemper fuit continuata, nemine alterius ſanguinis ad id diadematis admiſſo, quorũ regum res geſtas, cum Vuaſthald Scytha, & Hunibaldus, eius gentis ſcriptores ex ordine in literas retulerint, nos illas apud eoſdem legendas relinquimus, eo quod illorum libri ad manus noſtras nondum peruenerint, ad Antenorem, ultimum ferme Troianorum Scytharum Regem, (qui poſt ſeptingentos & triginta fere annos à Troiano excidio, regios faſces in Scythia ſubiuerat, ſanguinem ſuum in hunc uſq; diem propagaturus, ad quẽ etiã illuſtriſſima Habsburgia, ſeu præſens Auſtriaca domus natales ſuos refert) calamũ uerſuri.

*Troiani in Scythia ſubſidentes.*

*Troiani Scythæ regem ſibi deligunt.*

*Habsburgiæ domus origo*

## CAP. XV.



ANtenor, Scytharum Troianorum Rex, colonis Scanſionarũ & Gotthicarum inſularũ ſæpius bello cõgreſſus, ab eiſdem inter pugnandum tãdem cum magna populi ſui parte occiditur, Anno ab urbe condita CCC. XV. priuſquam Chriſtus in carne apparuerat, Anno CCCC. XL.

## CAP. XVI.

MArcomirus, interempti a Gotthis Antenoris maximus natu filius, poſt patrem, Troianis, Scythis duo de triginta annis imperauit, uir bellica uirtute celebris. Quocirca paternam necem ulturus, contractum exercitum ſæpius in uiciniores Gotthos, etſi uiribus illis lõge inferior eſſet, eduxit: quamobrem de uictoria diffidens, anno regni ſui quarto, procerum, quos ſecum habebat, conſilio, Scythiam relinquendam, alioqꝫ Troianis Scythis migrandũ eſſe decreuit. Vnde factis pro Aethnico more ſacrificiis, Menolpus flamen Dialis, afflatus numine, oraculo Marcomirũ admonuit, ad Rheni fluminis oſtia ipſi cũ plebe ſua colonias eſſe fundandas, Au

*Menolpus, flamen Dialis.*

das, Au

das. Augebant uatis oraculo credulitatem, Alrunæ (ſic enim Sagam mulierem uel Sibyllam Scythæ appellant) reſponſa: hæc enim magicis carminibus triceps numen admiratione dignum Marcomiro regi noctu aſtare fecit, ita ut uniuſcuiuſcꝫ capitis ſingulare audiret uaticiniū. Primum caput erat bufonis, alterum aquilæ, tertiū uero leonis, dixit quocꝫ aquila, O Marcomire, non ſolum me, ſed & caput meum progenies tua ſibi ſubiugabit, leonem conculcatura, ſimul & bufonem occiſura. Hanc uiſionem Scythica uates Marcomiro interpretata, Fore, ait, poſteritatem ipſius Gallis, Germanis, & Romano imperio aliquando imperaturam. Per aquilam nancꝫ Romanos faſces, bufone Gallicum regnum, per leonem uero Germaniæ principatum ſignificari aſſerebat. His reſponſis ac uiſionibus, ad mutandas ſedes Marcomirus cordatior redditus, Anno ante Chriſtianum natalem CCCC. XXXIII. circa medium menſis Aprilis, cum Sunone, Antenore, ac Priamo fratribus ſuis ducibus, uniuerſocꝫ populo Troianorum Scytharum, relicta Scythia, in Germanias deuenit, ubi a Saxonibus liberaliſſime ſuſceptus, eam regionem, quam hodie Phryſii Occidentales, Gelrenſes & Hollandini inhabitant, ſedē obtinuit. Quo loci Rhenus tribus oſtiis Oceanum influit, quas ſedes etſi primo anguſtiores acceperint, illas tamen breui tēporis interſtitio, uiribus

*Alruna Sibylla.*

*Viſio Marcomiri regis.*

*Interpretatio uiſionis.*

*Troiani Scythæ ueniūt in Germanias.*

& armis Occidentem uerſus dilatarunt, Marcomi ro rege poſt multa pręclara facinora, ubi annis duo de triginta ſceptrũ geſſerat, uita functo, ante Chriſti natiuitatem anno CCCC. XII. Ab introitu uero gentis ſuæ ad Rheni ripas, anno XXI.



VATICINIVM Sibyllæ, ſeu huius tricipitis imaginis interpretatio, Hieronymi Gebuileri Hexaſtichon.

Marcomire, triceps numen uereare nequaquã,
Nam tria portendit maxima regna tuis.
Bufo coronatus tibi Gallica regna figurat,
Teutonicos faſces indicat ipſe Leo,
Vtq; tui uincent fortiſſima regna nepotes
Romulidum, ſigno eſt aliger ecce Iouis.

## CAP. XVII.

ANtenor, Marcomiri primogenitus, à patris morte Troianis Scythis regio ſceptro pręfuit, maximo à ſubditis ſuis honore affectus, uxorẽ duxit Belini regis Britanniæ filiã, Cambrem nomine, cum in

*Cambre, filia Belini regis.*

cum ingenii dotibus, tum corporis uenuſtate cele- berrimam, qua uel incõſulta, Rex nihil agebat, quo circa Principes regni, illi haud ſecus ac cuiuſdã Mi- neruæ dicto audientes, ueluti numen quoddam, illam amplexati ſunt, a qua Troiani Scythæ, a Saxo nibus Neomagi, hoc eſt, amici ſeu noui hoſpites nuper dicti, Sicambricum cognomentum, uti ſe- cundo Auſtriadis noſtræ libro dicemus, ſibi aſciue runt. Moritur Antenor Rex ante ſalutiferum uir- ginis partum, Anno CCC. LVI. Ab urbe con- dita anno CCC. LXXVI. Neomagi, Sicambri.

## CAP. XVIII.

PRiamus, Sicambrorum rex ſecundus, Anteno- ris præfati unicus filius, compluribus in Gallos bellis auſpicatiſſime geſtis, mortem oppetiit, ante Dominicum natalem anno CCC. LVI. non pau cos ex quatuor uxoribus, quas ſimul habebat, re- linquens liberos.

## CAP. XIX.

HElenus, Sicambrorum rex tertius, filiorũ Pria mi natu maximus, cum a patris interitu unde uiginti annis imperaſſet, fatis conceſſit, priuſquã Chriſtus naſceretur, Anno CCC. XXXVII.

## CAP. XX.

DIocles, Heleni Regis primogenitus, Sicambro rum Rex quartus, uir admodum bellicoſus, ul

tra centena millia Gotthorum, Saxones bello moleſtantium, præſidio auxiliarium copiarum proſtrauit, e uiuis ſublatus, ante uirginis partum, Anno.

## CAP. XXI.

HElenus, ſecundus Dioclis Regis maximus natu filius, Sicambrorũ rex quintus, ocio & luxu Sardanapaliaco generis ſui claritudinem obfuſcauit, quo circa regno uelut inutilis exauthoratur, priuſquã Chriſtus naſcerẽt, Anno CC.LXXXVI.

## CAP. XXII.

BAſanus, iam dicti Heleni minimus natu Germanus frater, nullo non uirtutis genere clarus, quare in exauthorati fratris ſui regale ſolium, et procerum & plebis ſuffragio extollitur, cui præter inſignem fortitudinem ac prudentiam, Philoſophiæ, curſus quoqꝫ aſtrorum peritia, multum & honoris & laudis apud ſuos cõciliauit. Nam Theocalo ſummi Iouis pontifice uita functo, ipſe in eiuſdem locũ ſufficitur, nedum humanis, uerũetiam diuinis quaſi honoribus affectus, cuius edictis nemini ſubditorum ne nutu quidem cõtrauenire licebat: quocũqꝫ nanqꝫ pergeret, funem & gladium, rigidæ iuſtitiæ indicia, per apparitores ſibi iuſſerat præferri, nulli delinquentium parcendo. Vnde proprium filium cui Sedano nomen erat, adulterii cõuictum necaſſe legitur, prouerbio inter Sicambros, ob rigidã ipſius iuſti

us iuſtitiam, exorto, ut quoties alius alium contra leges agentem cerneret, adhortando diceret, **Hort opp lieff man / kent gy nit die grot kunig Baſan:** Quod latine ſonat, Ceſſate a talibus o bone uir, an neſcitis rigidam Baſani iuſtitiã? Qui multis rebus & pace & bello prẹclare geſtis, anno regni ſui xxxvi naturæ ſatisfecit, Deorum albo plebis ſuæ iuditio inſcriptus, ante Chriſtũ natũ an. CC.XLVIII.

## CAP. XXIII.

CLodomirus, Baſani regis filius, Sicambrorum rex ſeptimus, cruẹntoſa pugna Gallis congreſſus, uictor euaſit, mortuus ante uirginis partum, Anno CC. XXXIIII.

## CAP. XXIIII.

NIcanor, Clodomiri regis filius, genitoris in regno ſucceſſor, de Gotthis, Germanias depopulantibus, glorioſum triumphum obtinuit, debitum carnis ſoluens priuſquã Chriſtus naſceretur, Anno C. XCVI.

## CAP. XXV.

MArcomirus, Nicanoris regis filius, Sicambrorum rex nonus, Philoſophiæ doctiſſimus, in ſubditos clemẽs, hoſti uero formidandus, moritur ante Chriſtum natum, Anno C. LXVIII.

## CAP. XXVI.

CLodius, Marcomiri filius, Sicambrorum rex

decimus, cum Romanis, Gallias inuadentibus, pręlium iniens occiditur, Anno ante uirginis partum C. LVII. Sicambris nihiloſecius pugnam continuantibus, hoſte in fugam conuerſo.

## CAP. XXVII.

ANtenor tertius, Sicambrorum rex undecimus paci ut plerunq; ſtuduit, diſcordiarum & bellorum oſor, uita functus ante humanæ ſalutis ortū Annis C. XL VII.

## CAP. XXVIII.

CLodomirus, ſecundus Antenoris filius, a patris morte Sicambrorum rex duodecimus, moritur priuſq̄ Chriſtus naſceret̄, Anno C. XXVII.

## CAP. XXIX.

MErodacus, dicti Clodomiri filius, Sicambrorum rex decimustertius, Italiam bello aggreſſus, multis ſpoliis onuſtus domum uictor conceſſit ante Chriſtum natum, Annis XC VIII.

## CAP. XXX.

CAſſander, Merodaci regis filius, Sicamborū rex decimusquartus, qui Gallis, Sicambros grauiter moleſtantibus, ſæpius reſiſtens. Gotthos quoq; Saxonum fines ingreſſos, ſociorū præſidio terga dare coegit, obiens mortem ante Chriſti natiuitatem, Anno LXXVII.

## CAP. XXXI.

ANtharius, Caſſandri regis filius, Sicambrorum rex

rum rex decimus quintus, cum hoſte Gallo incautius pugnans, interimitur, Anno ante uirginis partum XLII.

## CAP. XXXII.



FRancus, Antharii regis filius, Sicambrorũ rex decimuſſextus, & Francorũ primus, populo q̊d bellica uirtute ac prudentia in agendis rebus pręſtaret, dilectiſſimus adeo, ut qui ab initio Troiani Scythæ, poſtea Neomagi, deinde Sicambri nuncupati fuerant ab hoc rege ſuo, deinceps Franci uoluere dici, quem fatis conceſſiſſe ferunt decimo anno priuſq̃ Chriſtus naſceretur.

*Troiani Scythæ, Neomagi, Sicambri, Franci.*

## CAP. XXXIII.

CLogio, Franci regis natus, Francorum rex ſecũdus, cuius anno decimo benedictiſſimus ſaluator noſter Ieſus Chriſtus ſalutifer ex intacta uirgine Maria naſcitur, poſt multas res pręclare geſtas mortuus. Anno uirginei partus uigeſimo.

*Chriſtus Ieſus naſcitur.*

## CAP. XXXIIII.

HErimerus, Clogionis natu maximus filius, Frãcorum rex tertius, contra Gallos minus conſyderate pugnando mortem oppetiit, humanæ ſalutis anno XXXI.

## CAP. XXXV.

MArcomirus, Heremeri regis frater, Francorũ rex quartus, Romanos & Gallos ſæpius auſpicatiſſime bello inuaſit, circa cuius regni primordia benedictiſſimus ſaluator noſter Chriſtus mortem crucis pro totius mundi ſalute paſſus eſt, carnis debitum Marcomirus tandem ſoluit, Anno ſalutiferi partus quinquageſimo.

*Chriſtus Ieſus patitur.*

## CAP. XXXVI.

CLodomirus, dicti Marcomiri filius, Francorũ rex quintus, Romanis & Gallis Marte nõ paucadamna intulit, mortuus, Anno Domini LXII. qui VI. Neronis erat.

## CAP. XXXVII.

ANtenor, ex Clodomiro p̨fato genitus, Francorum rex ſextus, Romanis prælio cõgreſſus, occiditur, Anno poſt Chriſtum natum LXVIII.

## CAP. XXXVIII.

RAtherius, præfati Antenoris filius, Francorũ Germanorum rex ſeptimus, Roterdamam urbem a ſe inter Batauos extructam, ſuo nomine inſigniuit, quam noſtro ſeculo Deſyderius Eraſmus linguarum ac politioris literaturæ princeps, uti natale ſolum, multo illuſtriorem reddidit. Hunc Ratherium mortem oppetiiſſe ferunt, Anno Domini LXXXIX. atq; in Roterdama ciuitate conditum.

*Vrbs Roterdama extruitur.*

*Laus Eraſmi Roterdami.*

Richime

## CAP. XXXIX.

RIchimerus, Ratherii filius, Francorum rex octauus, cũ magnificus, tum bellica uirtute clarus extitit, cuius ætate Marcha Brandenburgenſis ortũ ſumpſit, moritur tandem circiter humanæ ſalutis annum tredecimum ſupra centeſimum. Ortus Marchæ Brandẽburgenſis.

## CAP. XL.

ODemarus, ex Richimero genitus, Francorum rex nonus, conciliandæ pacis cum inter ſuos tum exteros ſatagẽs, a ſubditis & cæteris amabatur, fatis cõcedens a Chriſto nato, Anno C. XXVII. Adriani Cæſaris anno octauo.

## CAP. XLI.

MArcomirus, Odemari regis natus, Francorũ rex decimus, Altildem Marii Britanniæ regis filiam uxorem ducens, oppidum Marcoburgum apud Nitriones condidit, mortuus Anno Domini C. XLVIII. Marcoburgũ apud Nitriones conditur.

## CAP. XLII.

CLodomirus, ſecundus præfati Marcomiri filius, Francorum rex undecimus, paterno regno decem & ſeptem annos pacifice potitus, exuit hominem, Anno ſalutiferi partus C. LXV.

## CAP. XLIII.

FArabertus, Clodomiri primogenitus, Francorum rex duodecimus, coacto ingenti Francorũ, Saxonum, & his confœderatorum exercitu, Roma

nos tunc Germaniam moleſtantes, inglorios domum repedare coegit, uita functus, Anno Domini C.LXXXV.

## CAP. XLIIII.

SVnno, Faraberti maximus natu filius, Francorũ rex decimuſtertius, Romanos & Gallos atrociſæpius prælio inuaſit, mortuus circiter humanæ ſalutis annum CC.XIII.

## CAP. XLV.

HIldericus, Sunnonis primogenitus, a patris morte annos quadraginta, decimusquartus Francorum rex, imperauit, pace ac marte clarus, ampliandi regni ſui ſolicitus, quo regnante, claruit apud eundem uates ac Philoſophus, Hildegaſt, qui ipſo natali regis ſtans in templo Iouis apud Neopagum, peractis ſacrificiis, Alrunarum more pleraq; ſuper Sicambrorum aut Francorum in Gallos, Germanos & Romanos, uictoria ſub regibus poſt interregnum eligendis, futura carminibus prædixit, quæ cum ametra, & citra debitam pedum legem nobis oblata ſint, quantum potuimus, nihil ſenſus immutantes, eadem uti ſequitur reſtituimus.

*Hildegaſt, uates, ac Philoſophus.*

Numine ab occiduo ueniet uictoria Francis
 Olim quod coluit gens pia Dardanidum.
Quicquid habet Gallus, quicquid Germania tota,
 Sub tua per fatum ſceptra Sicambre ruet.

Hunc

Hunc tibi cum dederint fatalia tempora regem,
Primores ſtatuent, quem ſine rege duces.
Quo uictore ſuum Francus per ſecula mille,
Et genus & regnum protrahet abſq; mora.
Iuppiter ecce dabit Romana palacia Franco,
Ac ſerpens aquilam ſupprimet ipſe leo.

*Vaticinium Hildegaſt uatis.*

His carminibus prædictus uates haud obſcure cum Pharamundi regis electionē, poſt interregnū olim futuram, tum Celtas, Germanos & Romanos Francis quondam Sicambris, nomina daturos prædixit, per ſerpentem leonem nimirum Sicambros accipiens, quod hi biferi animantis, ſuperne leonis faciē præ ſe ferentis, inferne uero pubetenus in draconem deſinentis imaginem, pro ſigno & in bellis & alibi uterentur. Moritur tandem Hildericus rex Anno ab incarnato uerbo CC.LII.

*Quid per ſerpentem leonem deſignetur.*

## CAP. XLVI.

BArtherus, Hilderici regis filius, Francorum rex decimusquintus, cuius ætate Franci auxiliaribus Germanorum, Saxonum, & Bauarorū copiis, Italiam depopulati, copioſa præda onuſti, uictores domū redierunt, obiit anno Domini CC.LXX. qua tempeſtate Galienus Imperator Mediolani occiſus eſt.

## CAP. XLVII.

CLodius, Bartheri Regis primogenitus, annos xxvij. Francorum regno præfuit, quo guber-

nante, Romani Germanias inuadentes, ultra quindecim milia Teutonum haud procul a Benaco lacu neci dederunt. Moritur Clodius anno uirginei partus CC. XCVIII. Anno Diocletiani Cæſaris X.

CAP. XLVIII.

VValther, Clodii regis filius, Princeps & fortis & magnanimus, Francorum rex decimusſeptimus, cuius ætate in Chriſtianos Diocleciani iuſſu atrociter ſæuitum eſt, obiit mortem, Anno ſalutiferi partus CCC. VI.

CAP. XLIX.

DAGubertus, Vualtheri regis filius, patri in regno ſuccedens, Francorum rex duodeuigeſimus, mira in ſubditum populum clementia & humanitate uſus, ſatisfecit naturæ, Anno Domini CCC. XI. Superſtitibus aliquot filiis, inter quos Clogio maximus natu, a patris interitu Francorum regni diadema obtinuit. Vnde altero regni ſui anno Romanis & Gallis Ciſmoſanis Francorũ terras depopulantibus, prælio congreſſus, inter pugnandum anno humanæ ſalutis CCC. XIX. occidit, in cuius locum Franci Clodomirũ, ſupradicti Franci regis fratrem, atq; Daguberti regis ſecundo genitum filium regio ſceptro donarũt, qui cum & pacis & belli artibus nobilitaretur, ac regni ſui terminos plurimum ampliaſſet, orto forte ſub idem tempus inter Sueuos & Thuringos diſſidio, in Auſtriados

noſtræ

noſtræ ſecundo libro planius explicando, fratrem ſuum Genebaldum, primũ Franconię Ducem circiter annũ a uirginis partu CCC.XXVI. inſtituit.

## CAP. L.



GEnebaldus, Vualtheri Francorum Regis filius, primus Franconiæ Dux, a fratre ſuo inſtitutus, ex Francorum gente aliquot milia colonorum cũ uxoribus ac liberis, in eam terræ portionẽ, quæ ad Mogi fluminis ripas inter Sueuos ac Thuringos media interiacet, olim Menigaudia dicta, traduxit. Quocirca Franconię nomen a colonis Francis ſortita eſt, cuius ætate Clodomiro Francorum Rege, fratre ipſius, circiter Dominicę natiuitatis annũ CCC XXXVII. defuncto, Richimerus dicti Clodomiri primogenitus paternum regnum nactus eſt gubernandum, cui cum aliquot annis optime præfuiſſet, pugnans demum a Gallis trucidatur, circiter Dominicæ natiuitatis annũ CCC.LII. qua tempeſtate Genebaldus quoq; Franconiæ Dux fatis conceſſit.

*Franconiæ Ducatus origo.*

*Menigaudia.*

## CAP. LI.

DAgubertus, dicti Genebaldi filius, a patris obi

tu, Franconiæ Ducatum obtinuit, unde Theodo-miro Francorum Regi contra Romanos & Gallos, ipſum perpetuo bello moleſtantes, auxilia laturus, cum ingenti exercitu traiecto Rheno, in Belgas ca-ſtra mouens, Treuerorum urbem cœpit, cuius æta te, interempto Francorũ Rege Theodomiro, Clo-gio eiuſdem filius patrio ſolio potitus, & utriuſq; parentis ac auiæ necem ulturus, non paucos Roma norum milites bello contriuit, qua occaſione Iulia-nus, cognomento Apoſtata, poſtea Cæſar, Germa norum & Francorum potentiam domiturus, xxx. milia Germanorũ apud Argentoratum, haud pro cul a Tribus Tabernis, uetuſtiſſimo Romanorũ mu nimẽto, fudit, cuius uetuſtioris Trium Tabernarũ munimenti, hac clade Romanis quondam celeber-rimum nomen, noſtra tempeſtate multo celebrius redditum eſt horrenda ſtrage, qua circiter uirginei partus annũ M.D.XXV. intra dicti munimenti mœnia & circum, ultra uiginti milia factioſæ plebis intra tres fere horas oppetierunt. Sed hæc miſſa fa-cientes, ad Clogionẽ redeamus, qui circiter huma-næ ſalutis annũ CCC.LXXVIII. uita functus, Marcomirum filium in regno habuit ſucceſſorem, Daguberto Franconiæ duce nõ paucis diebus poſt e uiuis quoq; ſublato.

*Iulianus fu dit Germano rum triginta milia.*

*Cædes factio ſæ plebis.*

CAP. LII.

CLodius, a patris obitu Franconię dux eligitur, quo

quõ dominante, Marcomirus Francorum Rex Romanos haud procul a Colonia Agrippina ingenti ſtrage fudit. Verum elapſis deinde aliquot annis, denuo cũ eiſdem manus pugnando cõſerens, cum ſuis circiter Dominicæ natiuitatis annũm CCC. XCIII. trucidatur, qua clade Francorum res adeo in Germanis tunc attritæ fuerunt, ut Franci ſeſe iam Romanæ potentię multo inferiores, atq; ad reſiſtendum his omnino impares experti, ſuper annuo tributo ſoluendo, eorundem imperata facere coacti ſint, quam turpiſſimam pacis conditionem Francorum Duces, Sunno, Genebaldus, Antenor, & Priamus, qui in Galliis tunc bella gerebant, ueluti tũm ſe cum gente ſua indignã, grauius ferentes, atq; de priſtina libertate conſequenda conſultantes, in eam demum ſententiam conuenere, ut ſolo Priamo Duce cum certo militum præſidio apud Belgas relicto, reliqui ad Germanias adunatis uiribus feſtinarent. Hic eſt ille Priamus, a quo Comites Ardenne ſeu Louanienſes, quos a Bulion nõnulli cognominant præſentesq; Lotharingiæ Duces deſcenderunt, interea Clodius Franconiæ Dux fatis quoq; cõceſſit.

*Franci redduntur Romanis uectigales.*

*Ortus Ducũ Lotharingiæ*

## CAP. LIIII.

MArcomirus, Clodii Franconiæ Ducis filius, a genitoris ſui obitu circiter prædictum uirginei partus annum Franconiæ Principatũ adeptus, debiti officii intermiſit nihil, quo præſidẽte, Franci

Dagubertum, interempti nuper Marcomiri Regis fratrem, regni ſui interregem cõſtituerant, qua tempeſtate Valentinianus Cæſar legatos ad Francos in Germanias tranſmiſit, qui tributũ priori anno impoſitum exolui poſcerent, quibus Duces, populiq; Francorum reſponderunt, ingenuam Francorum libertatem uectigal cæteris nationibus hactenus imponere, non pendere conſuetos, quocirca ſe potius uitam, q̃ libertatem amiſſuros. Hinc paucis diebus poſt, Daguberto interrege circiter Chriſtiani natalis annũ CCC. XCVIII. defuncto, Genebaldus frater ipſius ei ad interregni adminiſtrationem ſurrogat̃, Marcomiro Franconiæ Duce per idem tempus uitæ fabulam peragente, cuius Marcomiri in compendio ſuo mentionem faciens Robertus Gaguinus, primam in Francos dominationem minus conſyderate illi tribuit, ignarus nimirum & Francorum Regum, & Franconiæ Ducum, iam a nobis deſcriptorum.

## CAP. LIIII.

PHaramundus, dicti Marcomiri filius, hæreditario iure Ducatu Franconiæ potitur, quo præſidente, ac Genebaldo Francorum interrege circiter humanæ ſalutis annum CCCC. XI. uita functo, proceres regni Francorum de alio ſibi Rege inſtituendo diutius conſultantes, tandem circiter uirginei partus annum CCCC. XVII. indicto cõuentu,

cum ſibi

cum ſibi tum imperio ſuo conſulturi, certis die ac loco pro maiorũ ſuorum uetuſto ritu, ex regni primoribus Regem eligere decreuerunt, ad quæ comitia ſequentes duces conuenerunt.

Pharamundus, tunc Dux Franconiæ
Dux Marcomirus
Dux Sunno, fratres Pharamundi.
Dux Clodius, Pharamundi filius
Dux Dagubertus, Marcomiri filius
Dux Nicanor
Dux Pharabertus
Dux Richimer
Antenor, Menipolitanorum Dux
Dux Priamus, frater eius
Bertherus, Dux Gallicanus
Heribertus, Dux Inſulanus
Sunno & Richimer, filii Genebaldi Ducis, & ultimi interregis.

Aderant quoq; ex ſacerdotibus & ſapientibus Francorũ, Salegaſthald, archiflamen Dialis, Gaſthald, Hernhald, Magiſter epiſtolarum, Vuiſogaſthald, pontifex Dianę, Rutuicus, Adelhardus, Richuerus, & complures alii, cũm equeſtris tum plebei ordinis, quorũ unanimi ſuffragio Pharamundus regio Francorum & Celtarũm ſceptro circiter Dominicæ Natiuitatis annum CCCC. XVIII. donatur.

# LIB. II.

## CAP. I.



PHaramundus, natiõe Germanus, Francorũ regnũ adeptus, & Belgas & Celtas bello moleſtauit, unde Gallorũ ſcriptores hunc primum Franciȩ Regem fuiſſe uulgo aſtruunt, quocirca Galliarũ ſeu Celtarũ regnum ſub hoc Pharamundo ad Germanos Francos translatum fuiſſe conſtat, ſub quibus etiam in duabus ſtirpibus, Merouingorũ ſcilicet, ac Carlingorũ, annis ferme D.LXXII. uſq; ad Hugonem Capetum ſine ulla interruptione fuit continuatum, ueluti Germanicȩ Libertatis libellus, huic adnexus, planius edocebit. Exuit hominem Pharamundus Rex anno uirginei partus CCCC.XXVI. qui erat regni ſui nonus, uel ut alii opinãtur, undecimus, qua tempeſtate Honorius etiam Cæſar in humanis eſſe deſiit.

## Cap. II.

CLodius, Pharamundi Regis filius, Franconum Rex uigeſimusſextus, & Gallorum, qui Celtæ dicuntur, ſecundus, Princeps ingenio & bellicis artibus

tibus celebris, adeptum principatum, Romanos & Gallos conterendo, uehementer auxit, Thuringos qui a Francorum ſocietate defecerāt, tributarios reddidit, cunctis formidandus, cui ob longam barbam & comam, quas nutriuerat, Capillati aut Criniti cognomentum fuiſſe conſtat. Obiit circiter humanæ ſalutis annum CCCC. XLVI.

*Thuringi uincuntur.*

*Clodius tulit cognomen Criniti.*

Cap. III.

MEroueus, filius Clodii Capillati, aut illi a ſtirpe propior, Francorum Rex uigeſimuſſeptimus, & Celtarū tertius, pro Romanis aduerſus Hunos & Viſogotthos, tunc Gallorum & Francorum fines, Attila Duce, bello moleſtantes, atrociter pugnans, in campis Catalaunicis occiditur, Anno uirginei partus CCCC. LVIII.

CAP. IIII.

CHildericus ſeu Hildericus, Merouei natus, paternum decus accepit, Francorum Rex duodetrigeſimus, et Celtarum quartus, qui ſecundiori fortuna in ſuperbiam luxumq; prolapſus, ob impotentiam dominandi regno eiicitur, Guinomadi tamen gentis ſuæ principis, in cuius fidem confugerat, opibus & factione reuocatur. Princeps bellicoſus & magnanimus, hic ex Baſina Thuringorum Regis uxore, quam ſibi thori conſortem iunxerat, Clodoueum genuit. Mortuus anno humanæ ſalutis CCCC.LXXXIIII.

## CAP. V.



CLodoueus, Childeri-ci filius, Francorū Rex undetrigeſimus, ac Celtarum quintus, priuſq̄ Chriſto nomen dediſſet, Crotildim Burgūdionum Regis filiam duxit uxorem, ſuſceptoſq; ex ea liberos, Chriſtiani dogmatis eſſe paſſus eſt, quo mater eos imbueret, quāuis ipſe perſtaret in maiorū ceremoniis, tandem Germanis ancipiti prælio ſuperatis, anno regni ſui decimoquinto, luſtralibus undis a Remigio Remenſi Antiſtite expiatus, oleo (q̊d a columba cœlitus allatum rumor eſt) inungitur, hic catecuminus adhuc in Chriſtiparæ uirginis honorem templum, ubi nunc cathedralis ædes Argentorati uiſitur, extruxit. Mortuus circiter annum Domini D. XIIII. atq; in Baſilica Petri ac Pauli Apoſtolorū, quam ex fundamentis erexerat, Pariſii ſepultus. Eo defuncto, regnum in quatuor partes eſt diuiſum, inter totidem filios ipſius, ex his Theodoricus Mediomatrices, ſeu Metenſes, Clodomirus regnū Arelatenſe, Clotharius Sueſſiones, Childebertus Pariſios eſt ſortitus.

*Crotildis, uxor Clodouei.*

*Clodoueus dat nomen Chriſto.*

*Clodoueus extruit templum Argentinenſe.*

## CAP. VI.

CLotharius ſeu Lotharius, primus dicti Clodouei filius

uei filius, Chriſtianorũ Francorum Rex ſecundus, per fratrum ſuorum obitũ, temporis ſucceſſu, monarchiam regni Francorũ recuperauit, Regia quam in quatuor ueluti membra filii Clodouei diſcerpſerant, in unum corpus, priſtinamq́ formã redacta. Hic Lotharius filiam ſuam Blitildam, illuſtri Duci Ansberto, alias Nicanori dicto, locauit matrimonio, e qua illuſtriſſima Carlingorũ domus prodiit, ſuper quibus Auſtriadis noſtræ tertius liber copioſius diſſeret, in libertatis quoq́ Germanicæ libello, quem huic adiunximus, ſuper huius Nicanoris ſeu Ansberti origine plura lectu nõ iniucũda reperies, cap. v. Vtq́ Merouingos & Carlingos, eadẽ Francorum Regum ſtirpe ſatos indicarem, utriuſq́ domus chartas genealogiæ ſtatim quoq́ in lucem dabimus, breuiſſima eius rei argumẽta. Vbi demum Clotharius uno & quinquaginta annis ſceptra geſſiſſet, morte obita, Sueſſione conditur, Anno Dominici natalis D. LXIII. cuius filii, cum bonis & malis artibus paternum regnum occupare pro ſe quiſq́ certaſſet, nec conſilia ſuccederent, in quatuor & ipſi partes, ut cõuenerant ex numero, ſui regnum diuiſerunt. Theodoberto, quem alii Heribertum uocant, Pariſii. Gontramo, Aurelii. Sigisberto, Auſtraſii. Chilperico Sueſſiones obtigerunt, quorum unius Sigisberti fata nunc ſubnectenda duximus, q Habsburgiæ domus Principes recta linea ex eo deſcendiſſe comperiamus.

*Blitilda, filia fuit Lotharij*

*Origo Habsburgiæ domus*

## CAP. VII.

SIgubertus uel Sigisbertus, Auſtraſiæ Rex, Clotharii Francorũ Regis filius, uxorem duxit Athanahildi Hiſpaniarũ Regis filiam, Bruniam ſeu Brunichildim nomine, fœminam mira immanitate inſignem, decem (uti receptũ eſt) Regum interfectricem, de qua huiuſmodi uaticinium Sibyllæ fuiſſe ferunt. Veniet Brunia de partibus Hiſpaniæ, ante cuius conſpectum gentes & Reges peribũt, ipſa uero calcibus equorum conteretur. Quod nimirum eueniſſe legimus, nam poſt aliquot annos ob crudelitatem ſuam, iuſſu Lotharii ſecundi, equinis caudis alligata, membratim diſcerpta fuit. Ex hac Brunia Sigubertus Rex unius duntaxat filii, Childeberti nomine, parens factus eſt, dolo et inſidiis Fredegundę coniugis Chilperici, Sueſſionum Regis, iugulatus, circiter annum Domini D. LXXVIII. Anno Tiberii ſecundi Imperatoris tertio. Sed quia Auſtraſiæ memoriã fecimus, limites ac fines eius regionis conſcribendos eſſe haud abſurdum iudicauimus, quam ab Auſtraſio Duce quondam ipſius, priuſq̃ Franci Germani Belgas ſubiugaſſent, id nominis cœpiſſe ferunt, regionem cum latam, tum multorũ hominũ capaciſſimam. Cuius aliquando duas primarias ſedes extitiſſe Robertus Gaguinus in literas retulit, Metim ſcilicet ac Coloniã. Hæc ab extrema Burgundia ad alpes orientem uerſus, & mare Phryſonum

*Bruniæ crudelitas.*

*Vaticinium de Brunia.*

*Mors Bruniæ.*

*Auſtræſia unde dicatur.*

ſonū inter Rheni & Schaldis alueos protenſa, olim comprehendebat Traiectum, Agrippinam Coloniam, Treuerorum Auguſtam, Moguntiam, Geldriam, Cliuiam, Batauorū inſulam, cum Selandia, Hannouiam, Hasbauiam, Leodium, Lemburgū, Alſatiam, & Comitis Palatini, quæ circa Rhenum ſunt, loca, Syluam Arduennā, Barrum, quod nunc in Ducalem uerſum eſt dignitatem, cum ea portione, quæ ad Moſam fluuium inchoat Campaniæ ſuperioris partē, Quam Galliæ Belgicæ ſatis amplam regionem, nonnulli orientalis Franciæ regnum dixerunt: alteram, quam Celtæ incolunt, Franciæ occidentalis regnum (quod magis ad occiduū ſolem procurrat) nuncupantes, quocirca Reges Auſtraſiæ apud Hiſtoriographos etiam Fancorum Reges nominari comperimus. In Diui nanq; Galli geſtis legitur, Sigubertum Francorum Regem, eiuſdem Galli monaſterium ſuis impenſis erexiſſe, ac donationibus, immunitatibuſq; Regiis affeciſſe, quem Sigubertum Celtis nunquā, at ſolis Auſtraſiis imperaſſe conſtat.

*Auſtraſiæ latitudo.*

*Duplex Francia, Orientalis, & Occidentalis.*

## CAP. VIII.

CHildebertus, dicti Siguberti Auſtraſiæ Regis filius, a patris morte hæreditarium Auſtraſiæ regnū duodecim annis poſſedit, cui & Burgundiæ regnum poſt Gontrami patrui ſui mortem, ex teſtamento acceſſit. Cuius pietas hinc maior enituit, q;

cuidam deuotiſſimo eremitę diui Mauri diſcipulo, cui Leopardo nomen erat, Marcham Aquilegiam in Alſatiis, haud procul a Tribus Tabernis, ut illic oratoriũ extrueret, libere circiter annum Domini D.LXXXII. donauit, quo loci poſtea temporis ſucceſſu, frequens Benedictinæ profeſſionis cœnobium a Mauro quondam Abbate extructum, atq; a Theodorico Francorum Rege circiter annum Domini DCC. XXV. maximis priuilegiis denuo fuit dotatum, cuius donationis chartam adhuc illæſam, nuper in eodem Mauri monaſterio uidimus. Obiit tãdem ueneno cum uxore ſua Childebertus Rex, circiter annum Domini D.LXXXIX. ſuperſtitibus filiis, Theodoberto natu maiore, qui Auſtraſiæ regnum obtinuit, ac Theodorico, Burgundionũ rege, illorũq; auia paterna Brunichilde.

## CAP. IX.

THeodobertus, Childeberti Auſtraſię Regis primogenitus, Mediomatricum ſceptra hæreditario a patris obitu nactus eſt, quẽ Brunichildis auia mulier, nullo non ſceleri peragendo aptiſſima, indigno proſequens odio, fallacibus artificiis effecit, ut exorto inter Reges, Theodobertum & Theodoricum fratres, odio, generis conſortium ferro diſcinderent, moto inter eos bello, atq; in Leucorum finibus apud Tullum, quod tũc extruebatur, inito certamine, haud ſegniter pugnatũ eſt, pluſq; triginta

*Pugna cruentoſa inter duos fratres.*

milibus

milibus utrimq; deſyderatis. Sed inclinãte fortuna, in Theodoricũ, Theodobertus Coloniam Agrippinam confugit, quem tum Theodoricus hoſtili exercitu perſecutus, omnia igni ferroq; populabatur, nec ante finem fecit, q̃ Theodoberti populares, & ſocii ſtipendiarii accepta conditione, reciſum Regis ſui caput Theodorico attulerunt, adductis etiam Theodoberti omnibus liberis, præter unum Sigubertum natu maiorẽ, qui auxilio quorundam euaſit ad cognatos ſuos, Gottfridum & Genebaldum, tunc Francorũ Duces, in Franconiam confugiens, ubi uſq; ad Theodorici patrui ſui obitum delituit. Interea ſanguinolenta mulier Brunichildis Theodoberti relictos liberos, Gunthramum & Lotharium pronepotes ſuos in conſpectum eius Metim adductos iugulauit, circiter annũ Domini DC. Poſt hæc Theodoricus a morte fratris ſui Theodoberti, Auſtraſiis & Burgundionibus annos duodeuiginti imperans, ueneno ſæpedictæ Brunichildis auiæ ſuæ dolis concinnato, nulla prole relicta, hominem exuit, circiter annũ humanæ ſalutis DC.XVIII. Vtriuſq; Franciæ & Burgundionũ imperio ad unũ Lotharium, Chilperici Sueſſionum Regis & Fredegundæ filium, deuoluto, cui & magna Germaniæ pars audiebat, unde tam ampla & lata regna ſolus gubernare nequiens, cognatis ſuis Ducibus uidelicet & Comitibus, antiqua Regum Francorum fami

*Theodoricus Rex Burgundionũ uictor*

*Theodobertus Auſtraſiæ Rex à ſuis interimitur.*

*Dirum Brunichildis facinus.*

*Burgundiæ & Auſtraſiæ regna Lotharius ſecũdus obtinet.*

Diui Romarici obitum, aut eiuſdem a mundanis tu multibus diſceſſum, Princeps Otbertus ſe Germanicæ gentis, ac orientalis Franciæ ſcribēs hæredem, Comitatus Auendi caſtri titulū ſibi primus aſſumpſit, a quo & illuſtriſſima Habsburgenſiū Comitū familia, ueluti e fonte deriuata, atq; in hanc uſq; diem glorioſiſſime continuata hoc noſtro ſeculo, non citra Dei auſpicium, apicem & ſceptra Chriſtiani orbis poſſidet. Non ignoramus quorundam ſuper Habsburgii tituli opinionem, a noſtra longe diuerſam, uerum cum temeraria & ſtultæ plebis anilibus nugis excogitata ſit, eam ſilentio duximus prætereundam. Arces nanq; Habsburgiæ in Ergouia ſitæ, haud quaquā illuſtriſſimæ Habsburgenſi familiæ nomina dediſſe, uerū ab eadem cœpiſſe, nobis eſt perſuaſiſſimū, quanto zelo orthodoxam fidem Otbertus princeps Habsburgius proſecutus ſit, ex eo facilius argues, quod Trutpertum e Scotia peregrinantem, atq; agellū pro extruendo oratorio petentem, haud parua portione eremi totius uallis a monte, cui Samba nomen eſt, e quo Numaga riuus oritur, uſq; ad torrentem Metzenbach in agro Briſgoico, inter hercinii nemoris iuga, magnifice donauit, additis etiam illi duobus ſeruis, quibus ut Trutperto eremitæ ad extruendum oratoriū auxilio forent, iniunxit. Haud parum ſibi congratulatus tam ſancti propoſiti uirum in Principatu ſuo habitaturū, quo-

*Quibus donis S. Trutpertum donauerit Otbertus.*

dum

dũ uiueret, familiariſſime uſus, nec mortuũ dignis iuſtis deſtituit. Percepta nanq; ſanctiſſimi martyris Trutperti uiolẽta morte, latrones e ueſtigio dignis ſuppliciis affici, & exangue corpus miraculis clarẽs, in eodem oratorio congruis honoribus curauit ſepeliri, quo loci & ipſe poſt fata conditus eſt, cuius ex hac uita migrationis annum, menſem, ac certam diem per ſcriptorum eius ætatis incuriam reperire nequeuntes, contenti ſumus epitaphio, in dicto Diui Trutperti cœnobio, prope maius altare affixo, quo docemur, Otbertum, Rampertum, Lutfridũ, Huntfridum, item Luitfridum, Hugonem, et Erentrudim, Comites ab Habsburg illic ſepultos. Super quibus plura tertius Auſtriadis noſtræ liber explicabit.

*Epitaphium Comitum ab Habsburg in cœnobio ſancti Trutperti*

## CAP. XII.

BEbo, Princeps ſeu Comes Habsburgius, dicti Otberti filius, occiſores B. Trutperti martyris paterno iuſſu commeritis fecit affici ſuppliciis, poſt mortem in Diui Trutperti oratorio cum parente, (ut creditur) ſepultus, a quo Bebonis domum, & Bebonis uillare, Alſatiæ pagos, nomina cepiſſe coniectamus.

## CAP. XIII.

ROpertus, quem alii Otbertum uocant, comes ab Habsburg, Bebonis filius, oratorium Diui Trutperti magnifice dotatum, cœnobialis uitæ domicilium effecit, poſt mortem illic in aui conditorio

ſepultus, Anno Pipini Regis Francorum decimo quinto, qui erat humanæ ſalutis DCC.LXVI. Calendis Iulii.

## CAP. XIIII.

Canonizatio S. Trutperti martyris.

Ambringen, pagus.

AMprintus, a quibuſdam Rampertus nuncupatus, Comes Habsburgius, præfati Roperti filius, Diui Trutperti cœnobium cenſibus & prouentibus annuis ditatū, Abbatiali dignitate ſublimari curauit, impetrata etiam Diui martyris Trutperti a Stephano quinto eius nominis Papa, canonizatione, circiter annum Domini DCCC.XIIII. conditus poſt mortē in gentilitio ſepulchro. Hunc Amprintum arci & pago Ambringen in Briſgoia cum primordia, tum nomen indidiſſe multi coniiciunt.

## CAP. XV.

GOnthramus, Amprinti ſeu Ramperti filius, comes ab Habsburg, arcem Acuti Lapidis, uulgo Scharffenſteyn, in montibus uallis ſancti Trutperti extruere cœpit, quā tamen morte præuentus non abſoluit, poſt fata in Diui Trutperti cœnobio ſepultus.

## CAP. XVI.

Arx Acuti lapidis abſoluitur.

Filij Luthardi.

LVthardus, Comes ab Habsburg & Altenburg Gonthrami filius, arcem Acuti Lapidis a parente ſuo inchoatam abſoluit, temporibus Arnolfi Cæſaris uita functus, relictis tribus filiis, Betzone uidelicet, Berthilone, ac Gebizone, Comitibus ab Habs

burg &

burg & Altenburg, e quibus poſterioribus, Gebizone ſcilicet ac Berthilone, illuſtris familia Ducum Zeringenſium propagata eſt, ſuper quibus iij. Auſtriadis noſtræ libro diffuſiorē faciemus mentionē. Origo Ducū Zeringenſiū

## CAP. XVII.

BEtzo ſeu Betzelinus Princeps ab Habsburg, & Comes ab Altenburg, Luthardi Comitis filius diui Ciriaci monaſterium Sultzberg in agro Briſgoico pro Veſtalibus, impenſis ſuis magnifice erexit, ibidem poſt mortem ſepultus, circa Ottonum Imperatorum tempora, qua tempeſtate comes Berthilo frater Betzonis, in diuæ Margarethæ uirginis honorem, cœnobium Vualtkirch pro ſanctimonialibus condidit. Gebizone ſuis quoque ſumptibus monaſterium Albæ Augię prope Rauensburgum per idem tempus conſtruente. Reliquit Betzo tres liberos, Rapotonem, Rudolphum, & Vuerengarium, poſtea Argentinenſis eccleſiæ Antiſtitem.

## CAP. XVIII.

RApoto, Betzelini Comitis filius, Princeps ab Habsburg, Vuerengarii ſecundi eius nominis Argentoratenſis Epiſcopi frater, arcem Habsburg in Argouia, prope oppidulum Bruck in editiore montis uertice, Vuerengario Epiſcopo, ut fertur, impenſas præbente, condidit. Vxorem habuit, Ita nomine, illuſtri Lotharingorum Ducum ſanguine genitam, cum qua poſt mortem apud Heluetios in

Habsburg in Argouia conditur.

*Murenſe & Otmarsheim cœnobia conduntur.*

Murenſi cœnobio, quod in diui Martini honorem de nouo conſtruxerat, ſepultus eſt, cuius frater Rudolphus cœnobiũ in Othmarsheym pro ingenuis Veſtalibus, ad diui Quirini gloriam erexit.

## CAP. XIX.

VVerengarius, alias Berengarius, Rapotonis filius, Comes ab Habsburg, cognomento Pius, cœnobiũ diui Martini a parentibus ſuis nuper erectũ, magnifice dotauit, illic quoq; a morte ſepultus.

## CAP. XX.

OTto, Comes ab Habsburg, Berengarii Comitis filius, ipſa die quatuor Coronatorum uita functus, in Murenſi templo gentilitiæ ſepulturæ tumulo conditur.

## CAP. XXI.

VVernherus, comes ab Habsburg, Ottonis filius, ad monaſterii, cui Aue maris ſtella nomen eſt, uulgo Vuettingen, tunc haud procul a ſuperioribus thermis in Licomagi fluminis ripa, pro Cyſtertiẽſis inſtituti monachis, a Comitibus de Vuandelberg & Rapoltzuuiler erecti, conſtructionem magnifica donaria cõtulit, ibidem ipſa die diui Martini obita morte ſepultus, eius mauſeolũ in medio ædis nunc quoq; cernitur, cui complures alii Principes Habsburgii poſt Vuernherum illati fuerunt, quemadmodum eius cœnobii annales, & ſuſpenſa illic Habsburgenſium Comitum gentilitia inſignia teſtantur, quorum nomina ſequuntur. Iohan

Iohannes, Comes ab Habsburg.
Gotfridus, comes ab Habsburg.
Iohannes, comes ab Habsburg.
Albertus, comes ab Habsburg.
Gotfridus, comes Habsburg.
Rudolphus, comes ab Habsburg.
Rudolphus, comes ab Habsburg.
Hartmannus, comes ab Habsburg.
Rudolphus, comes ab Habsburg.
Rudolphus, comes ab Habsburg.
Vuernherus, comes ab Habsburg.
Rudolphus, comes ab Habsburg.
Heinricus, comes ab Habsburg.
Iohannes, comes ab Habsburg.

Oſtendebat nobis, dum nuper eiuſdem cœnobii ædem ſpectatū ueniſſemus, homo fide dignus, Habsburgenſis familiæ uetuſtiſſimū ſignum, ligno inciſum, ac parieti iuxta eius domus conditorium affixū, quod cum ante aliquot annos templū illud, & quicquid ligni aderat, omnino in cineres & fauillas incendio fuiſſet reſolutum, lapidibus etiam præ nimio æſtu ſciſſis, unicum hoc (non citra omnium admirationem) manſiſſet illæſum.

*Vetuſtiſſimū ſignū domus Habsburgiæ ab incendio illæſum permanſit.*

## CAP. XXII.

ALbertus, cognomēto Diues, Comes ab Habsburg, Vuernheri filius, mira in omnes liberalitate celebris, ſubditis præcipue clemens, nullius

perſonæ acceptor, moritur Heinrico ſexto Imperatore, relicti duobus filiis, Alberto & Rudolpho.

## CAP. XXIII.

*Albertus, dux belli Argentinenſiũ.*

ALbertus, Comes ab Habsburg, Alſatiæ ſuperioris Comes prouincialis, præfati Alberti Diuitis filius, Princeps fuit cũ belli, tum pacis artibus inſignis, quocirca Epiſcoporum & urbis Argentinenſis & dux & ſocius belli multos annos extitiſſe legitur. Vxorem duxit Heduuigim nomine, antiquiſſima Comitũ de Kiburg ſtirpe genitam, ex qua trium mariũ, Rudolphi, Alberti & Caroli, duarũq; puellarum pater factus eſt. Hic irrepente ſenio, Dominici ſepulchri uidendi amore captus, adminiſtratione Principatus ſui filiis commiſſa, in Paleſtinam transfretauit, ubi poſt aliquot annos naturæ concedens, Accaronę ſepelitur. Vixit ſub Friderico ſecundo, qui filium ipſius, Rudolphũ, poſtea Romanorũ Regem, e ſacro fonte leuauerat, Anno Domini, M. CC. XVIII. Huius Alberti filius Albertus iunior, ſub Cunrado, Friderici filio, in pugna ab Inſubribus captus, atq; in uincula cõiectus, pedore carceris cõtabuit. Carolus uero Baſilienſis eccleſiæ Canonicus, florida iuuentute animam efflauit, Baſileę conditus. Filiarum autem eiuſdem Alberti altera, cui Marthæ nomen, in cœnobio Adelhusheym, prope Friburgum, perpetuæ continentiæ Veſtalis ſtuduit: altera primũ Domino .N. a Cuſſenberg, deinde

*Albertus Palæſtinam proficiſcitur.*

deinde Domino Ottoni ab Ochſenſteyn nupſit. Præfato quoq; Alberto ſeniori Comiti ab Habſburg frater fuit, Rudolphus nomine, qui mortuus circiter annum Domini M. CC. XLIX. atq; in Carniola ſepultus, tres reliquit filios, Rudolfum ſcilicet, poſtea Epiſcopum Conſtantienſem, qui mortuus eſt anno Domini M. CC. XCIII. Godefridum, Comitẽ ab Habsburg, & dominũ in Lauffenberg, qui naturæ conceſſit anno Domini M. CC. LXXI. ſepultus in Vuettingen, & Eberhardum, Comitem ab Habsburg, qui ultimi Comitis a Kiburg filiam uxorem ducens, nomen eiuſdem Comitatus ſibi uſurpauit, ſepultus poſt fata in cœnobio fratrum minoritarum oppidi Burgdorff.

*Rudolphus, Comes ab Habsburg, frater Alberti ſecundi.*

*Eberhardus, Comes à Kiburg.*

## CAP. XXIIII.



RVdolphus, Comes ab Habsburg, Alſatiæ ſuperioris comes prouincialis, poſtea Romanorum Rex, iã dicti Alberti filius, in quo uetuſtiſſima & nobiliſſima Francorũ Meroueorꝝ, Troiano ſanguine ortorũ, domus Regalibus tandẽ faſcibus reſtituta fuit, naſcitur quinta Calendarũ Maii, Anno

Dominici natalis M. CC. XVIII. quo die Bertholdus Dux Zeringius ultimus e uiuis exceſſit, Ottone quarto Imperatore ſub idem tempus uita functo. Extulit infantem Rudolphū luſtralibus undis piatum Fridericus ſecundus Imperator, Anno regni ſui ſexto. Vnde pueritiā egreſſus, in dicti Cæſaris aulam ingenuis moribus ac militaribus exercitiis, ingenuum & generoſum adoleſcentem decentibus, traditur educandus, ubi cum ſuopte ingenio nullius non uirtutis ſpecimen præ ſe ferret, nihil eorum, quæ egregiam indolē arguunt, intermittens, omnium aulicorum oculos in ſe conuertebat. Huic cū Cæſareus mathematicus (cui ex aſtris futura præſagire dabatur) ubicunq; locorum, temporū & hominum obuio, præ cæteris pari uel maiori nobilitate claris ſingularem exhiberet reuerentiam, cur id faceret, diligētius a Cæſare Friderico requiſitus: quia inquit, hunc Rudolphū olim futurum Romanum Imperatorē ſentio. Quam ob rem Rudolphi regnū fatale fuiſſe, nemo inficiet, quod aliis quoq; uiſionibus (uti quarto Auſtriadis noſtrę libro dicet) prænunciatū fuerat. Hūc Rudolphū haud magno capite, raris crinibus, ſubpallida facie, naſo aquilo, mira cibi potuſq; tēperantia fuiſſe, aiūt, in agendis rebus prudentia & ſolertia nemini ſecundū, diuini cultus & plantatorē & defenſorem feruentiſſimū, in bello aut hoſte aggrediundo fortē ac circunſpectū, cuius

*Mathematicus prædicit, Rudolphum futurum regē*

*Forma & ſtatura corporis Rudolphi*

res

res præclare geſtas, hactenus ſitu et ſqualore obtenebratas, hic dūtaxat ſupremis, ut ferť, labiis delibandas, quarto Auſtriadis noſtræ libro abſolutius exponemus. Nupſit Rudolpho circiter annū Dñi M.CC.XL. Anna ab Hohenberg, puella cum corporis uenuſtate, tum morum ac uirtutū elegantia præſtans, Alberti Comitis ab Hohenberg filia, quam quatuor filior℞, Alberti uidelicet, Rudolphi, Hartmanni, ac Caroli, ſex quoq; natarum ex ſe matrē fecit, Interregno deinde a Friderici ſecundi obitu annos fere uiginti tres cōtinuato, Rudolfus unanimi principum electorum ſuffragio, dum forte Baſileam obſidione circumuallaſſet, haud candidatus in Romanorum Regem eligitur, tribus filiarum ſuarum totidem principibus electoribus non longe poſt deſponſatis, inter quas Mechtildis Comiti Palatino & Bauariæ Duci, Agnes uero Alberto Saxoniæ Duci nupſit, Heduigis Ottonem Brandenburgium Marchionē thori conſortem obtinet. Nec indignos ſe maritos tres reliquæ Rudolphi Regis filię ſortiūtur. Catharina Ottoni, Vngariæ Regi, ac Bauariæ Duci. Guta, Venzeslao, Bohemiæ Regi. Clementia uero Carolo Marcello, Neapolis & Vngariæ Regi, nubentibus, quos tam fœlices & inopinatos ſucceſſus, nemo non ſanus diuinæ prouidentiæ adſcribet, q̄ æquum, iuſtum, & clementem principem. Rudolphus a coronatiōe ſua Aquiſgrani pro

*Anna, Comitiſſa ab Hohenberg, uxor Rudolphi*

*Rudolphus eligitur Romanorū rex.*

*De connubio filiarum Rudolphi.*

more, in Reginæ ac filiarum ſuarum præſentia, ulti ma die octobris, Anno humanæ ſalutis M. CC. LXXIII. celebrata egerit, latrones & uiarũ graſſatores, hincinde Germaniã deprædantes, tollendo, uniuerſalem pacem inter principes & ciuitates imperii cũ edicto firmando, amiſſos imperii principatus recuperãdo, rebelles ſubiugãdo, affatim quarto Auſtriadis noſtræ libro explicabimus. Senſit & hic nouercantis fortunæ inſidias, Hartmanno filio ipſius decimumoctauũ ætatis ſuæ annum agente, quẽ Alſatiæ Lantgrauiatu donauerat, cui & Anglorum Regis filia deſpõſata erat, in diui Thomæ Apoſtoli profeſto, anno a uirginis partu M. DD. LXXXVIII. cum undecim nobilibus prope oppidũ Rhinau, in Rheno flumine aquis ſuffocato, atq; in Cathedralis Baſilienſis templi choro ſepulto, cuius funereæ pompę quatuor Epiſcopi, præter innumeram cleri, equeſtris, ſenatorii, atq; plebei ordinis turbam interfuere, cui mœrori acceſſit luctuoſiſſimus Dominæ Annæ Imperatricis obitus. Hæc eñ circa quadrageſimalis abſtinentię medium tempus eodem anno naturæ conceſſerat, cuius exangue corpus exenteratum, ac Balſamo oblitum, Imperator Rudolfus magnifica, ut decuit, pompa Baſileam ex Vienna duci, atq; in cathedralis ædis choro ſepeliri iuſſit, cuius oſſa adhuc integra & cohærẽtia, in eius tumulo nuper conſpeximus, una cum oſſiculis Caroli re

*Rudolphi regis præclara opera.*

*Hartmannus Rudolphi regis filius naufragio perijt, & Baſileæ ſepultus eſt.*

*Imperatrix Anna moritur Viennæ, et ſepeliur in choro Baſiliẽſis templi.*

roli regii filii, ſexto ætatis ſuæ menſe uita functi.

Anno poſt hæc M. CC. LXXXIIII. Imperator Rudolphus ipſa dominica ſeptuageſimæ pudiciſſimam dominã Elizabetham, Ottonis Burgundionũ Ducis filiam, annos dũtaxat quatuordecim natam, in oppido Romarici montis ſecũdam duxit uxorem, cum qua ſequenti menſe Iunio, Baſileæ regio apparatu nuptias celebrans, ex ea nihil liberorũ genuit. Correptus tandem morbo, Spiram deſcenſurus, in oppido Germersheym, anno ætatis ſuæ LXXIII. naturæ conceſſit, pridie Calendas Octobris, Anno uirginei partus XCI. ſupra duodecies centeſimum, cuius corpus regio funere Spiram delatum, in Cathedrali templo Imperialibus conditoriis ſepelit, quibus honoribus Argentoratũ Regẽ Rudolphũ proſecutũ fuerit, hinc facilius argues, ꝙ pro foribus ſummi templi regiam equeſtrem ſtatuam, e lapide cælatam, illi cum hac inſcriptione erexerit, Rudolphus Comes ab Habsburg, Rex Romanorum. Qua inſuper uictoria in Bohemos & alios imperio minus audientes, Cæſar Rudolphus, dum uiueret, uſus ſit, Auſtrias noſtra ob oculos ponet. Non tamen interea Rudolphi regii filii obliuiſcamur, quẽ pater Sueuię Ducatu donauerat. Is nanqꝫ Ottokari Bohemię Regis, a Rudolpho Rege nuper occiſi, filiam uxorem ducens, ex eadem Iohannem, Alberti Regis interfectorem genuit, poſt paucos

*Secũda uxor Regis Rudolphi.*

*Rudolphus Spiræ ſepelitur, in cuius honorem Argentinenſes ſtatuam regiam erigunt.*

annos a parentis ſui morte uita functus, ac Pragæ ſepultus.

# LIB. III.

## CAP. I.



ALbertus, Comes ab Habsburg, primus eius familię Auſtriæ dux poſtea Romanorum Rex Rudolphi Cęſaris primo genitus, Elizabethã Menhardi Ducis Carinthiæ, ac Comitis Tyrolenſis filiam adeptus coniugem, unius & uiginti liberorũ ex ea factus eſt pater, quorũ decem impuberes mortem obierunt. De reliquis undecim, ſex maribus, et quinq; puellis, in calce huius capitis mentionem faciemus. Hunc Albertum, cognomento Victorioſum, Rudolphus rex circiter annũ Dñi LXXXII. ſupra duodecies centeſimum Auſtriæ Ducem creans ipſum, ſuper eodem Ducatu ad Romani imperii adminiſtrationẽ per Cunradi ultimi eiuſdẽ Ducis, circiter annum Domini M. CC. LXVIII. in Sicilia occiſi, mortem deuoluto inueſtiuit, atq; de principum aſſenſu Vaſallum imperii cõſtituit, qui

*Elizabetha, filia Carinthiæ Ducis, Alberti ducis uxor, ex qua unius & uiginti liberorũ pater fuit.*

*Albertus creatur Auſtriæ Dux.*

a Germa

a Germaniæ proceribus, exauthorato ob ſordes & ambitionem Adolpho de Naſſau, tūc Romano Rege, Cæſar declaratus, ipſum Adolphum bella ob id mouentem, prope Vangionum urbem prælio ſuperauit, & occidit, circiter humanæ ſalutis annum M.CC.XCIX. Eodem anno, ipſa die Panthaleonis martyris, Aquiſgrani, omniū principum electorum aſſenſu, in Romanorum Regem inunctus & coronatus, cuius imperium Bonifacius octauus Papa, Philippum tunc Francorum Regem ſummo odio proſequens, ea conditione ratum fecit, ut Galliarum quoqꝫ regnum ſibi uendicaret, quod procul dubio (niſi morte præuentus) attentaſſet. Fuit Alberto ampliandi principatus ſui cura non modica. Vnde Lucernam, Heluetiorꝫ oppidum, tunc ſub Murbachenſis Abbatis dominio cōſtitutum, cum omni iuriſdictione ab eodem Abbate duobus milibus marchis argenti emit, datis etiam in recompenſam eidē Abbati quatuor pagis in Alſatia, propius monaſterium Murbach ſitis, cum omnibus pertinentiis & iuribus dicto Abbati & cœnobio perpetuo ceſſuris. Bella, cæteraſqꝫ huius inuictiſſimi Regis res præclare geſtas, quinto Auſtriadis noſtræ libro magis exacte deſcribemus. Interea quibus fatis uitam morte commutauerit, non tacituri. Nutriuerat is non minori cura, q̄ proprios liberos, Iohannē ex fratre ſuo Rudolpho, Sueuiæ quondam Duce,

*Albertus ſudit prælio Adolphum Regem.*

*Albertus rex emit Lucernam.*

nepotem, qui dum adoleuiſſet, quorundam æmulorum Regis inſtinctu ſępius a patruo aliquot arces Argouiæ hæreditario ſibi debitas, dari inſtantius poſtulauerat, uerũ hactenus ſemper repulſam paſſus, atq; ob id in furiam uerſus, conſpiratorum auxilio, loci ac temporis opportunitate conceſſa, Regem Albertum, & tutorem ac patruum Calendis Maii, prope oppidulũ Bruck, inter Ruſam & Ararim fluuios, eo loci ubi nunc cœnobii Regii Campi ſummum altare ſitum eſt, improuiſum, ac nihil tale ſuſpicantem, Anno humanæ ſalutis octauo ſupra tricenteſimum & mileſimum iugulauit, Rudolpho a Vuart ipſum Regem gladio traiiciente, atq; Vdalrico a Palma enſe caput & faciem Regis diſſecante. Cui parricidio etſi Vualtherus ab Eſchilbach interfuerit, nullo tamen uulnere Albertũ affecit. Cuius glorioſiſſimi Regis, a nepote ac aulicis ſuis interempti, corpus in cœnobio Franciſcanæ profeſſionis, cui ab eo euentu Regio Campo, uulgariter Kungſfelden nomen eſt, tunc eo loci extructo, ad aliquot annos ſepultum, poſtea Spiram regiis conditoriis illatum eſt. Non tulerunt homicidæ illi tam indignum facinus impune. Verum quas pœnas dederint, quintus Auſtriadis noſtræ liber docebit. Liberos tamẽ ab eodem Alberto Rege poſt fata relictos ſilentio interea haud quaquã præteribimus.

*Albertus rex iugulatur à nepote ſuo.*

*Cœnobium Regij Campi extruitur, ubi corpus Alberti regis quieuit.*

Rudolphus

RVdolphus, Alberti Regis primogenitus, Auſtriæ Dux, Blancam Philippi ſecundi Francorũ Regis filiam coniugem duxit, qua defuncta, & Viennæ ſepulta, Elizabethã Bohemiæ Reginam Venzeslai relictam, cum qua & regnum Bohemiæ obtinuit, matrimonio ſibi iunxit. Moritur tandem circiter annum Domini M.CCC.III. nihil prolis ex ſe relinquens, ſepultus Pragæ.

*Rudolphus, Auſtriæ Dux fit Rex Bohemiæ.*

HEinricus, Dux Auſtriæ, Rudolphi Regis frater cognomento Placidus, coniugem duxit Elizabetham, comitis a Virnenburg filiam, ex qua nulla prole auctus, naturæ cõceſſit anno a ſalutifero Chriſti ortu M.CCC.XXVII. cõditus in cœnobio Regii Campi.

OTto, Dux Auſtriæ, cognomento Venuſtus, dicti Heinrici frater, Annam Iohannis Bohemiæ Regis filiam priorem habuit coniugem, nihil prolis ex ea ſuſcipiens, qua mortua, Elizabethã Stephani Bauariæ Ducis filiã matrimonio ſibi iungẽs, Friderici & Leopoldi Ducum Auſtriæ in pueritia uita functorum, ex eadem factus eſt parens, mortuus circiter annũ Domini M.CCC.XL. atq; in cœnobio Auſtriæ, Kloſternuenburg dicto, ſepultus.

LEopoldus, Auſtriæ ac Sueuorum Dux, gloria auratorũ equitum cognominatus, eo quod Romanis Imperatoribus bellica uirtute haud parũ ad-

*Leopoldus, primus Dux Auſtriæ.*

iumenti tulerit, Catharinam Antici ſeu Amadei Allobrogum Comitis filiam, thori cõſortem nactus, duas ex eadem puellas genuit, quarum altera matris nomen referẽs, N. Duci Schleſię, dicto de Groſſen altera uero, Agnes nomine Duci Schleſiæ, dicto de Schuueiginitz, nupſiſſe legitur. Huius Leopoldi res præclare geſtas quintus Auſtriadis noſtræ liber indicabit. Exuit hominem Leopoldus anno uirginei partus M. CCC. XXVII. in cœnobio Regii Campi cum uxore ſua ſepultus.

FRidericus, cognomento Pulcher, Dux Auſtriæ dicti Leopoldi frater, Iſabellam Geldriæ Ducis filiam priorem ſponſam habuit, qua tamen ante celebratas nuptias mortua, Elizabetham Iacobi iunioris Arragonum Regis natam duxit uxorem, ex qua tres liberos genuit, filium ſcilicet patris nomen referentem, in cunis uita functum, & in cœnobio Regii Campi ſepultum, Elizabetham, quæ Iohanni Bohemiæ Regi deſponſata, uirgo naturæ ſatisfecit, & Annam, quæ Poloniæ Regem primum ſortita coniugem, eodem defuncto, Iohanni Carinthiæ Comiti nupſit, quo item e uiuis excedente, monaſticæ uitæ ſeſe addixit. Super huius Friderici electione ac fatis nõ pauca ſuo loco ſcribemus, quem circiter annum Domini M. CCC. XXX. obiiſſe, atq; in Maurbachenſi Carthuſiana domo cõditum fuiſſe aiunt.

*Proles Friderici Pulchri.*

*Fridericus electus fuit in Romanorum Regem.*

Alberti ſecũdi Auſtriæ Ducis, cognomenti Claudi, præ

di, prefati Friderici electi Regis fratris, fata ſequenti capite deſcripturi, ad ſororũ eiuſdem cõnubia poſteritati tradendã calamũ duximus uertendum. Inter quas Agnes primũ cuidam Principi de Colũna deſponſata, poſt ſponſi mortẽ Andreæ III. Vngarorũ Regi nupſit, q̃ item uita functo, Agnes in Argouiã rediẽs, natalis ſoli dulcedine illecta, xlviij. annos in monaſterio Regii Campi operibus pietatis dedita, uidua permanſit, ibidẽ poſt mortẽ ſepulta. Hæc inæſtimabili theſauro, cenſibus item ac decimis dictũ Regii Campi cœnobiũ ditauit, quod tamen noſtro æuo omni diuino cultu pro Dei ac diuorum gloria illic ab utriuſq; ſexus Franciſcanæ profeſſionis hominibus hactenus in ſalutiferam Auſtriacorũ principum illic ſepultorũ memoriam quotidie cantu & orationibus celebrato, ſpoliatum percepimus.

*De filiabus Alberti Regis.*

*Agnes, Regina Vngariæ.*

ELizabetha, Lotharingiæ Duci nupta, Rudolphum Lotharingiæ Ducem peperit.

ANna Hermannum Marchionem Brandenburgium priorem maritum adepta, nihil liberorũ ex eo ſuſcepit, quo mortuo. N. Poloniæ Duci nupſit, poſt obitum Preslæ ſepulta.

CAtharina Heinrico ſeptimo Romanorũ Imperatori deſponſata fuit, quo naturæ concedente, Carolo, Duci Calabriæ, matrimonio copulat̃, poſt mortẽ in diui Laurentii templo Neapolis ſepulta.

GVta Comitẽ de Ottingen thori cõſortem adepta eſt.

## CAP. II.



ALbertus ſecūdus, Auſtriæ Dux, Comes ab Habsburg, cognomēto Sapiens, Alberti quoq; Victorioſi filius, princeps mira grauitate ac prudētia ſingulari, Chriſtianæ pietatis amator, Iohannam Vdalrici ultimi Comitis Phirrhetarū duxit uxorem, cuius occaſione poſt ſoceri neminem uirilis ſtirpis hæredem poſt ſe relinquentis, mortem dictus Phirrhetenſis Comitatus Alberto & poſteritati ſuæ ceſſit, hac tamen conditione, quod Albertus iuniori relictæ filiæ, præfati Vdalrici Comitis ſoceri ſui, cui nomen Vrſulæ, octo milia Marcharū argenti pro ſua hæreditatis paternę portione ſolueret. Hæc circiter annum Domini M. CCC. XXIIII. Idibus Martii, Comite Vdalrico e uiuis ſublato, euenerunt. Anno poſt hæc quarto, Dux Albertus ex præfata conthorali ſua primogenitum ſuſcepit, non ſine totius Auſtriaci Principatus applauſu maximo. Nihil etenim liberorū uirilis ſexus, Rudolphus, Heinricus, Otto, Fridericus & Leopoldus præfati fratres Alberti Ducis, ex ſe reliquerant, quocirca propagandæ

*Iohanna, Comitiſſa à Pfird, uxor Alberti.*

*Comitatus Phirrhetarū accedit domui Auſtriæ.*

*Alberti Sapientis primogenitus naſcitur.*

pagandæ Auſtriacæ domus ſtirpis omnis ſpes in hoc uno Alberto reſtabat, quem ex Auſtria circiter annum Domini M.CCC.LI. ad Rheni partes ue niſſe, atq; Rhinfeldam imperiale oppidum Auſtriæ Ducibus dudum oppignoratum, a Comite de Nidau redemiſſe legimus, quatuor Imperii oppidulis ad ripā Rheni ſitis, tūc Alberto Duci audientibus, Schaffhuſa ſcilicet, Rhinfelda, Nouocaſtro, & Briſacho. Liberaturus præterea Iohannem Comitem ab Habsburg iuniorem, cognatum ſuum, quem Thuricenſes in uincula coniecerant, Thurregum exercitu duorū milium equitum, ac uiginti milium peditū potenter obſedit, cum quibus inita tandem concordia obſidionē ſoluit. Huius Alberti temporibus Carinthiæ Ducatus per ultimi eiuſdem Principis ſine uirilis ſtirpis hærede mortem, ad imperiū deuolutus, a Ludouico Romanorum Imperatore Ducibus Auſtriæ in Feudum traditur. Hunc Albertū podagra, ut plerūq; ferunt, laboraſſe, unde a pedum debilitate Claudi traxit cognomentū, circiter annum Domini M.CCC.LXXVIII. uita functus, atq; in Chartuſiana domo in Gemnitz, quam a nouo conſtruxerat, ſepultus. Fuerunt huic Alberto ſex liberi ſuperſtites, quatuor mares, ac duæ puellæ. Inter has Catharina, cœlibatus ſtudioſa, ſpretis mundanis uoluptatibus, diuæ Claræ inſtituti monaſterium Viennæ ingreditur, poſt mortem illic ſepulta.

*Quatuor Imperij oppida Ducibus Auſtriæ oppignorata.*

*Ducatus Carinthiæ accedit Auſtriæ domui.*

*Albertus cur Claudus dicatur.*

MArgaretha, ſoror Catharinæ præfatæ, Iohanni Marchioni Brandenburgio nupſit, poſt fata Brunniæ in Morauia ſepulturæ tradita.

*Albertus tertius duas uxores habuit, et Viennenſe ſtudium inſtituit.*

ALbertus tertius, Alberti Sapientis filius, Auſtriæ Dux, Elizabetham, Caroli quarti, Romanorum Imperatoris, ac Bohemiæ Regis filiam, priorem duxit uxorem, qua naturæ concedente, Beatricem Burggrauii Nurembergenſis natam, matrimonio ſibi iunxit, ex ea quartum Albertũ Auſtriæ Ducem procreans, Archigymnaſium literariũ Viennenſe Alberti tertii inſtitutũ eſſe ferunt, qui animam efflans circiter annũ Dñi M. CCC. XCVII. in diui Stephani Baſilica Viennæ conditur.

RVdolphus, Dux Auſtriæ, cognomento Ingenioſus, priorem uxorem duxit Margaretham, dictam Multeſch, cum qua Comitatũ Tyrolenſem obtinuit, qua defuncta, Catharinam Caroli quarti Romani Imperatoris ac Bohemiæ Regis filiam, thori cõſortem aſciuit. Mortuus circiter annum humanæ ſalutis M. CCC. LXV. atq; in diui Stephani templo, quod conſtrui fecerat Viennæ, ſepultus.

*Templũ diui Stephani Viennæ à Rudolpho ingenioſo extructum eſt.*

FRidericus, ſecũdus Dux Auſtriæ, cognomento Splendidus, præfati Rudolphi frater, neq; uxorem neq; liberos habuit, inter uenandũ a quodam domino a Pottendorff occiſus, atq; Viennę in diui

Stephani

Stephani æde conditus, Anno M. CCC. LXII.

## CAP. III.



LEopoldus ſecundus, cognomento Probus Alberti Sapiẽtis ſeu Claudi filius, Dux Auſtriæ, ac Comes ab Habsburg, uxorem duxit Viridam nomine, Bernabouis Inſubrium Ducis filiam, quã quatuor marium, & unius puellæ matrẽ ex ſe reddidit, qui pacis amans, ſuis quoq; populis, præcipue Heluetiorũ collimitiis quietem procuraturus, duodecẽnale fœdus cum Heluetiis circiter annum Dñi M. CCC. LXXXII. iniit, utriuſq; partis iureiurando, ne irritaretur ſancitum. Sed a diſceſſu Principis in Auſtriam, poſt temporis puſillum, culpa ( neſcio cuius ) omnino neglectum, confœderatis Leopoldi Ducis populos & terras igni ac ferro deuaſtantibus, Auſtriacis quoq; copiis pro uirili his reſiſtẽtibus. Quamobrem Leopoldus ſuis præſidia allaturus, coacto ingenti undequaq; equitum & peditum exercitu, in Heluetios bella moturus, haud procul a Sempacho caſtrametatur, cui præ nimio ultionis ardore plus ęquo in pugnã feſtinanti,

*Leopoldus fœdus cũ Heluetijs inijt.*

*Leopoldus ſuis opem laturus contra Heluetios, exercitum colligit.*

Heluetii, qui Sempachi in præſidio congregati fue-rant, occurrunt, prælia inituri. Non detrectauit pugnam fortis ac magnanimus Princeps, etſi modico equitum exercitu uallatus fuerit (Exierat enim ad hoſtem ſpectandum, non ad inuadendum, reliquo exercitu ipſum in caſtris manente) quem ſi ſecum habuiſſet, citra ullum periculum aut laborem ad extremos Garamantes hoſtem fugaſſet. Verum generoſæ nobilitatis, ipſum tunc comitantis, hortatu ad arma calidior redditus, immemor lente feſtinandũ eſſe, moræ impatiens, hoſti congreditur. Victoria tandem ad Heluetios inclinante, Leopoldo Duce, omnicꝫ nobilitate quam ſecum habuerat, ad unum occiſis, cuius exangue corpus una cũ quadraginta aliis præclari ſanguinis militibus, in ſæpedicto Regii Campi cœnobio, circiter annum Domini M.CCC.LXXXIX. ſepulturæ traditur, cæterorũ ingenuorũ militum cadaueribus, quorum plericꝫ ex Alſatiis, Briſgoia, Suntgaudia, Hegouia Principem comitati fuerãt, ad domeſtica & gentilitia conditoria abductis. Quã lugubris & funeſta hæc clades equeſtri ordini fuerit, ſi ea pugna interemptorũ nomina legeris, facilius argues. Succeſſit Leopoldo Duci filius, paternum nomen referens, qui genitoris ſui mortem ulturus, ingentem coegit exercitũ quem tamen infecto negocio, factis inter ipſum & hoſtem treugis anno duraturis, dimiſit. Hac uictoria Hel

*Leopoldus Auſtriæ Dux cum omni nobilitate ſua ab Heluetijs interimitur.*

ria Heluetii audatiores redditi, Remp. ſuam nuper ſub Alberto Sapiente inchoatã, pleriſq; dominiis, oppidis ac munitionibus auxerunt. Viſum tamen Superis erat, illuſtriſſimæ Auſtriacæ domui abundantius alibi reſtituere, quicquid apud Heluetios perdiderat. Sub idem namq; tempus Tyrolẽſis Comitatus argentifodinarũ cõmoditatibus, cæteriſq; annuis prouentibus, regno haud inferior, per Rudolphum Auſtriæ Ducem cõnubio Margarethæ, dictæ Multeſch, circiter annũ Domini M. CCC. LX. Ducali Auſtriacæ domui acceſſit. Cæteras Leopoldi Ducis res inſigniter actas, quinto Auſtriadis noſtrę libro proditùri, ſuper eiuſdem prole pauca ſubiungemus.

*Augetur Heluetiorum potentia.*

*Creſcit Auſtriæ Ducum potentatus.*

ELizabetha, Leopoldi Ducis Auſtriæ filia, Comiti Gorricenſi deſponſata, cui priuſquã congrederetur, mortem obiit.

VVilhelmus, Dux Auſtriæ, Leopoldi ſecundi filius, Iohannam Caroli Pacis, Vngariæ ac Siciliæ Regis filiam priorem duxit uxorem, qua e uiuis ſublata, alterã ſibi matrimonio iunxiſſe legitur, nihil liberorum ex utraq; gignens, conceſſit naturę circiter annum Domini M. CCCC. V. Viennæ in diui Stephani æde ſepultus.

LEopoldus, cognomento Superbus, eius nominis tertius, Dux Auſtriæ, & Vuilhelmi frater,

Catharinã Philippi Ducis Burgundiæ filiam, thori conſortem adeptus eſt, qui arcem Nouæ Ciuitatis in Auſtria inſtaurauit, mortuus ſine liberis, Anno Domini M. CCCC. ac Viennæ in diui Stephani templo conditus, qui dum uiueret, monaſterium Schonenſteynbach deſolatũ, uxoris ſuæ inſtinctu reſtaurauit, magnifice donando.

*Cœnobium Schonẽſtein-bach inſtauratur.*

FRidericus, cognomento Senior, Dux Auſtriæ, princeps fortis ac magnanimus, Elizabethã Roperti Romanorũ Regis, ac Comitis Palatini filiam primum ſibi matrimonio copulans, ex ea unicam filiam, matris nomen referentem, genuit, qua uitam morte commutante, Annam Friderici Ducis Brunſchuigenſis filiam conthoralem aſſumens, quatuor liberorum ex ea factus eſt pater. Quantam rerum ac principatus ſui iacturam hic Fridericus ob conſtanter ſeruatam Iohanni XXIII. Papæ fidem, Sigiſmundo Imperatore, fecerit, alibi ſignificantius exprimetur. Conceſſit tandem naturæ Fridericus, in monaſterio Stams ſepultus, circiter annũ Domini M. CCCC. XXXIX. cuius tres filię, Elizabetha Heduigis et Margaretha, priuſquã deſponſarentur impuberes naturæ ſatisfecerunt, Vuolffgango quoque ipſius filio in pueritia uita functo. Quare ad unum Sigiſmundum omnia Friderici bona hæreditario ceſſerunt.

*Vxor & liberi Friderici, Ducis Auſtriæ.*

Sigiſmun

SIgiſmundus, Friderici Senioris filius, & unicus heres, Dux Auſtrię, Comes Tyrolis, et ab Habsburg, quo Principe nemo unquã uixit liberalior, Leonoram Iacobi Scotorum Regis filiam priorem duxit coniugem, poſt cuius obitum, Catharinã Alberti Saxoniæ Ducis filiam matrimonio ſibi copulauit, ex neutra pater factus, qui circiter humanæ ſalutis annum M. CCCC. XCVII. naturæ concedens, in cœnobio Stams ſepultus eſt, quanq̃ nonnulli hunc Viennæ dicant conditum.

## CAP. IIII.



ERneſtus, Friderici Senioris frater, Dux Auſtriæ, Stiriæ ac Carinthię Comes Tyrolis, & ab Habsburg, ob eximiũ corporis robur, cognomẽto Ferreus Princeps, pacis, iuſtitiæ ac pietatis amator Margaretham, Duciſſam de Stettin, primam duxit uxorem, e qua multorum liberorum, in infantia tamen defunctorum, factus eſt pater. Poſt cuius obitum, Zimburgim Alexii Maſoniæ Ducis filiã coniugem ſumpſit, fœminam cum pudiciſſimam, tum coniugis ſui amantiſſimam, quæ illi nouem liberos

Nouem Erneſti Ducis liberi.

peperit. E quibus Erneſtus, Leopoldus, ac Rudolphus, Anna & Alexandra in infantia & pueritia uitam morte commutauerunt, in Noua Ciuitate Auſtriæ ſepulti. Reliquorum quatuor in fine huius capitis mentionem faciemus. Obiit Erneſtus Dux circiter annum Domini M. CCCC. XXIIII. ſepultus in cœnobio Gilgenfeld.

CAtharina, Erneſti Ducis filia, Marchioni Badenſi nupſit, poſt mortem in parrochiali templo pagi Badenuuiler condita.

MArgaretha, Erneſti Ducis filia, Fridericũ Saxoniæ Ducem maritum ſortita, poſt fata Miſnæ ſepelitur.

ALbertus ſextus, cognomento Mitis, Dux Auſtriæ, Erneſti filius, Mechtildim Comitis Palatini Ludouici filiam, ac Ludouici Vuirttenbergii Comitis uiduam uxorẽ ducens, nulla prole auctus eſt. Inter cuius res præclare geſtas, id maxime eſt memorabile, ꝙ inſignem Academiam Friburgi apud Briſgoios de nouo inſtitutam, annuis reddituum prouentibus mille aureorũ ſummam excedẽtibus, pro ſtudii ac profeſſorum ſuſtentatione magnifice donauit, haud parum immortalitatis inde conſecutus. Moritur tandem circiter Dominicæ natiuitatis annũ M. CCCC. LXIIII. Vixit quoq; Erneſti Ducis ætate Albertus quartus Dux Auſtriæ, Alberti

Academiæ Friburgenſis initium.

berti tertii filius, qui ex Iohanna, Alberti Ducis Ba‐uariæ ac Hollandiæ filia, uxore ſua, Albertum quintum, & filiam, cui nomen Anna, genuit, circiter annum Domini M.CCCC.IIII. uita functus, & Viennæ in diui Stephani templo conditus.

ANna, huius Alberti quarti Ducis Auſtriæ filia, Heinrico Bauariæ Duci nuptui locatur.

ALbertus, quintus Dux Auſtriæ, uxorē duxit Elizabetham, Sigiſmundi Cæſaris filiam, poſt mortem ſoceri, Bohemiæ ac Hungariæ Rex, totius populi aſſenſu coronatus, cuius felicitatem Imperii electores admirati, cōuentu Franckfordiæ habito, Romanū quoq; Imperium illi haud candidato communi ſuffragio commendarūt gubernandum, non ſine maxima ſpe ſalutis Reipublicæ Chriſtianę. Erat enim princeps optimus, nulla non uirtute clarus, liberalitate ſimul et iuſtitia præſtans, magnanimus, in aggrediundo hoſte prudens ac fortis, & ſane conceptam animis hominum opinionem haud fruſtratus eſſet, niſi Parcarum inclementia (nondum enim toto biennio imperauerat) alui profluuio cōfectus eſſet, circiter humanæ ſalutis annum M.CCCC. XXXIX. ſeptimo Kalendas Septembris, in alba regali ſepultus, huic quatuor liberos fuiſſe legimus *Albertus V. Romanorum Vngariæ, ac Bohemiæ Rex.*

Annam, quæ Vuilhelmo Saxonię Duci nupſit, ac Elizabethā, quam Caſimirus, Poloniæ Rex, uxo‐rem duxit. *Quatuor Alberti quinti liberi.*

GEorgius, huius Alberti quinti filius, puer adhuc e uiuis exceſſit, ſolus reſtabat Ladislaus, poſthumus paterni regni hæres.

LAdislaus, Vngariæ atq; Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ, Alberti quinti Auſtriæ Ducis filius poſthumus naſcitur, cui adulto Margaretha, filia Caroli ſeptimi Francorũ Regis, deſponſata fuit, cum qua nuptias celebraturus, miſſis octingentis equitibus, auratis quadrigis, uirginibus ac matronis ad ſponſam deducendam, immatura morte uoti fruſtratur. Decima nanq; Kalendarum Decembris ægrotare incipiẽs, intra tres & triginta horas uitam morte commutauit. Mortem eius pleriq; ueneno Huſſitanæ factionis inſidiis concinnato imputauere. Multi nanq; haud aliam ob rem nuptias Pragæ peragendas Ladislaum inſtituiſſe dicebant, niſi ꝙ ſub eo prętextu, ingenti exterarum gentium coacto exercitu, Huſſitas forti manu opprimere potuiſſet.

*Hic notandũ quàm caduca ſint res mortalium.*

Condit̃ Pragæ octauo Kalendas Decembris, Anno Dñi M.CCCC.LVII.



## CAP. V.

FRidericus, tertius Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus qui Auſtriacæ domus Archiducalem

lem titulum primus ſibi uendicauit, Stiriæ ac Carinthiæ Dux, Comes Tyrolis, & ab Habsburg, præfati Erneſti Ducis filius, cognomento Pacificus, uix pubertatis annos egreſſus, Chriſtianæ religionis zelum mox induit, omnibus rebus cum pacem, tum diuini cultus argumentum præferens, ab auita maiorum ſuorum pietate ac probitate nihil degenerando. Illuſtriſſimæ ſiquidem Auſtriacæ domus Principes, inter quos complures cum Imperatores, tum Reges floruerunt, tunc propitiora ſibi numina ſperauerunt, cum Chriſtianæ religionis & orthodoxæ fidei ſeduliores eſſent curatores. Quorum ueſtigiis innixus quoq; Fridericus, defunctis parẽtibus, ubi curatorũ ſuorum tutelam exiuerat, in Paleſtinam, Dominici ſepulchri uidendi amore captus, nõ ſine maxima deuotione peregrinatus eſt, feliciſſimũ ſortitus reditum, quem florida iuuentutis ætate, grauitas, ſapientia, ac præcox morum integritas plurimũ adornabant, corpore ſtrenuo erat, uegeto atq; Robuſto, laborum haud impatiente, mira fortitudine ac animi cõſtantia, cibi potuſq; temperantia uix credibili, quarum uirtutum intuitu, poſt Alberti Romanorum, Bohemiæ, atq; Hungariæ Regis, & Auſtriæ Ducis, obitum, unanimi principum electorũ ſuffragio, Fridericus Romani Imperii faſcibus adornat̃, circiter annũ uirginei partus M.CCCC.XL. Ductaq; poſt Heleonora Luſitanici ſanguinis, cum

*Fridericus cognominatur Pacificus.*

*Fridericus Dominicum ſepulchrum uiſitat.*

*Fridericus eligitur ac coronatur Romanorum Rex.*

in Italiam tranſcendiſſet ad Nicolaum Pontificem, pro Imperiali diademate adipiſcendo, profecturus ab eo nullo nõ honoris genere excipitur, illi & uxori Imperiali corona impoſita, hinc Neapolim diuertit in Alphonſi Regis gratiam, cuius Heleonora Imperatrix pernecessaria erat. Nec minore apparatu a Venetis (eius enim urbis inuiſendæ incredibili deſyderio flagrabat) obuiam illi itum eſt, quos exinde ſummo amore ac beneuolentia ſemper proſecutus eſt. Huius opera Amadeus Allobrox, qui ſe pro Pontifice gerebat, Baſilienſi Concilio innixus, in ordinem ſe redegit. Ex Italia in Germaniam circiter annum ſalutiferi partus M. CCCC. LII. reuerſo, nihil ab initio illi antiquius fuit, q̃ tueri pacem, & tumultus exortos ſedare. Quare & ſeditionẽ mouentes Auſtrales, facile cõpeſcuit. Et bellum a Matthia Pannonum Rege illatum, ſedauit. Sumptaq; in Carolum Burgundionum ducem, oppidum Nyſſam obſidentẽ, haud contemnenda bellica expeditione, totius fere Germaniæ ac Imperii uiribus comparatis, nedum urbem ab obſidione liberauit, uerum etiam inita cum Burgundo principe amicitia, Maximiliano filio ſuo eiuſdem Caroli Ducis filiã, quam unicam habebat, ſponſam impetrauit, rebus undiquaq; bene cõpoſitis. Sunt, qui dicunt Fridericum Cæſarem, Paulo pontifice, uoti ſoluendi cauſſa denuo Romam adiiſſe. In Flandros præterea, qui filiũ ipſius

*Heleonora, uxor Friderici.*

*Fridericus Cæſar, maximis honoribus à Venetis excipitur.*

ipſius Maximilianũ Romanorum Regem uinctum aſſeruabant, circiter annum Domini M. CCCC. LXXXVII. exercitum ducens, recepto filio, paucorum pœna contentus, omnem diſcordiarũ fomitem ſuſtulit. Tandem LIIII. Imperii anno naturæ conceſſit, Maximiliano prius circiter annum Domini M. CCCC. LXXXVI. Cæſare declarato, & Aquiſgrani coronato, ſepultus Viennæ anno Dominicæ natiuitatis M. CCCC. XCIII. Genuerat Fridericus tertius ex dicta coniuge quinque liberos, inter quos Chriſtophorus et Iohannes Archiduces cum Helena in cunabulis fere mortem obierũt, Neapoli in Auſtria ſepulti, Maximiliano & Kunegunde ſuperſtitibus.

*Fridericus Cæſar in Flã dros ducit exercitum.*

KVnegundis, Archiduciſſa Auſtriæ, Friderici tertii Cæſaris filia, nupſit Alberto ſuperioris ac inferioris Bauariæ Duci, mulier cũ pudicitiæ, tum pietatis ſtudio inſignis. Nam a coniugis ſui morte in morẽ Veſtalis, monaſticę uitæ ſtuduit, in Chriſtiparæ templo Monachi a morte ſepulta.



## CAP. VI.

MAximilianus Romanorum Imperator, Archidux Auſtrię, Stiriæ

Carinthiæ &c. Lantgrauius Alſatię, Comes Tyrolis, & ab Habsburg &c. Magnus bello Princeps, ac pace præclarus, cuius eximia bonitas, liberalitas ſumma, & Chriſtianæ pietatis cultus pręcipue commendantur. Acceſſerunt ad haſce animi dotes, oris probitas, ſtatura quadrata, in qua tamen Imperatoria maieſtas elucebat, corpus ualidum ac robuſtũ, idemq; laboris atq; operis patientiſſimum, par uictus frugalitas, & ex eo ualetudo proſperrima. Fuit hic Friderici tertii Cæſaris ſecundo genitus, ſingulare ac unicum nullius non uirtutis, Principem decentis, ſpecimen, cuius præclarã indolem uel ſuapte induſtria, uel Genethliacorũ inſtructione, Fridericus Cæſar præſagiens, haud temere e duobus nobiliſſimorum Romanorũ Ducum nominibus conflatũ, proprium nomen illi luſtralibus undis expiato indidit, Maximilianũ appellans. Fore nimirũ ſignificando eundem & Fabii Maximi, & Aemilii res inſigniter actas relaturum, opinione ſua profecto nequaq̃ falſus. Qualem etem̃ ſe cum belli, tum pacis artibus præſtiterit, nemo ignorat. Pueritiã nanq; ingreſſus, ſub pædagogo Thoma, poſtea Conſtantiſi Præſule, Latinas literas tanta ingenii felicitate imbibit, ut intrepide, donec uiueret, Latine loqui ac ſcribere, exteros quoq; legatos Romane orantes audire, illiſq; ſine interprete reſpondere non erubuerit, Gallorũ linguæ haud ignarus. Hunc adhuc impuberem

*Maximiliani & corporis & animi bona.*

*Nomen Maximiliani unde cõflatum.*

puberem, ne nimium laſciuiret, ſub arctiori ferulæ cuſtodia, nullis parcendo uirgis, animaduerti parens iuſſerat, genuinam adoleſcentis liberalitatem, ne in prodigalitatem uitio dandam uſu uerteretur, hoc pacto prohibere conatus. Cui uigeſimũprimũ ætatis ſuæ annum agenti, Carolus Burgundionum Dux, unicam filiam ſuam Mariam deſpondit, cum qua circiter annum Dñi M. CCCC. LXXVII. matrimonio cõtracto, dotis nomine Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Limburgũ, Hannoniam, Hollandiam, Artheſium, Selandiam, Geldriam, cũ nonnullis aliis dominatibus Auſtriacæ domui adiunxit, etſi Ludouicus undecimus Galliarum Rex, a Caroli Burgundi Ducis obitu, nõnihil terrarum Maximiliano debitarum ui attraxerit, unde inter ipſum & Principem Maximilianũ bella ſuborta fuere non pauca. Augebatur intra quinquennium Maximilianus ex Maria, thori ſui conſorte, tribus liberis, Franciſco, Philippo, & Margaritha, plures indubitato ex eadem ſuſcepturus, niſi nouercantis fortunæ ludibrio, quam unice dilexerat uxorẽ, circiter annũ uirginei partus M. CCCC. LXXXII. inter uenandum equo excuſſam, atq; XXII. die menſis Martii eiuſdem anni uita functã, amiſiſſet. Qua e uiuis ſublata, Flandrenſes, qui ſuperſtite Maria Caroli filia, Maximilianũ uti Principem ſuum reueriti fuerant, in amore uidebant̃ tepeſcere. Anno

*Genuina Maximiliani liberalitas.*

*Maximilianus cõtrahit matrimoniũ cum Maria Burgundica.*

*Maria Burgũdica Maximiliani uxor moritur.*

*Margaritha deſponſatur Carolo, Gallorum Regi.*

nanq; mox ſequente, Andegauenſes Margaritham Maximiliani natam nondum bimulam, Flandrenſium legatorũ opera, inuito atq; inconſulto parente, Carolo, Ludouici XI. Gallorum Regis filio ea conditione deſponſarunt, ut legitima ætate utriq; accedente, nuptias celebrarent. Veniens poſt hæc nobiliſſimus Princeps Maximilianus circiter annũ Dñi M.CCCC.LXXXVI. cum Friderico tertio, patre ſuo, Franckfordiam, a Sacri Imperii Romani electoribus, Calendis Ianuarii, Romanorũ Rex electus, decima die menſis Aprilis, pro more, Aquiſgrani ungitur, ac coronat̃. Anno deinde a uirginis partu M.CCCC.XC. Matthia Vngarorũ Rege uita functo, inuictiſſimus rex Maximilianus totam Auſtriam, quæ olim Pannonia ſuperior dicta eſt, nuper ui parenti ſuo ereptam, poſtliminio in Friderici Cęſaris ditionem armata manu redire coegit. In dicto etiam anno mox ſequenti, Principũ Imperii conuentu Nurembergæ, Annam Britanniæ Duciſſam per legatos ſibi deſponſauit uxorem, quam tamen Carolus, VIII. Galliarũ Rex, illi præripiens, Margaritham priorem ſponſam repudiauit. Quod indignum facinus Illuſtriſſimæ Auſtriacæ domui a Gallis illatũ, præſenti demũ anno ultum uidimus, Franciſco Galliarũ Rege cum ingenti exercitu et profligato, capto, atq; in ſacræ Cęſareæ ac catholicæ maieſtatis uincula coniecto. Inuictiſſimo deinde Friderico

*Maximilianus Rex Auſtriam recuperat.*

rico tertio Cæſare, circiter annũ Dñi M. CCCC.
CXIII. uita functo, Maximilianus Imperator Tur *Fridericus Cæſar moritur.*
cas, Croatiam depopulãtes, exercitu quindecim mi
lium peditum & equitum pugna inuadens, fugere
coegit. Reuerſus inde, apud Tribotes ſeu Alſatas
hiemans, Briſgoios & Raurices, quos Suntgaudas
nunc appellamus, inuiſit. Qua tempeſtate, Aprili
mẽſe, Peronica factio Vngarici montis detecta eſt, *Factio Ruſticana Vngarici montis.*
coniuratorũ primoribus digno ſupplicio affectis.
Ducente præterea Maximiliano Cæſare anno mox
ſequẽte Blancam Mariam, illuſtriſſimi Galeacii Vi
cecomitis, atq; Inſubrium Principis filiam, ſecun-
dam uxorem, Carolus octauus Galliarũ Rex Italiã
ac Neapolim nõ ſine maximis equitum ac peditum
copiis inuaſit, at Galeatii Mediolanenſium Ducis,
Germano milite inſtructi, manus in reditu uix effu
git. Occurſurus igitur Gallorum Regis inſolentiæ
Cæſar, Imperialem conuentũ Vuormatiæ, Anno *Conuentus Imperialis Vuormatiæ.*
Domini M. CCCC. XCV. celebrandũ indixit,
in quo & Eberhardum Comitem a Vuirttenberg,
XXI. die menſis Iulii Ducem a Deck creauit, & Lu
douicum Marium Fortiam Mediolanenſibus Du
cem præfecit. Enata ſub idem tẽpus in diuerſis Ger
maniæ partibus monſtra, Heluetici belli fuere præ-
ſagia. Carolo octauo Galliarum Rege his diebus cir
citer annum Domini M. CCCC. XCVIII. fatis
concedente, quo tempore Maximilianus Cæſar fre

*Cõuentus Imperialis celebratur Friburgi.*

quentiſſimũ Principum Imperii conuentum, præſente Imperatrice, Friburgi apud Briſgoios celebrauit, in quo Principes electores cum aliorũ Regum oratoribus congregati, ſuper uariis Germaniæ negotiis tractauere. Anno mox ſequente, qui erat a uirginis partu nonageſimusnonus ſupra quadringenteſimum & mileſimũ, in fine menſis Februarii,

*Bellum Cæſaris cõtra Heluetios.*

pernitioſo bello inter Cæſarẽ & Heluetios exorto, quod in Curienſi Epiſcopatu enatũ, per Rheni tractum ad Briſgaudiã & Alſatiam uſq; deſcẽdit, Maximiliano Imperatore per idem quoq; tempus apud Geldrenſes Marte occupato. Quibus turbis omnino ſedatis,

*Ludouicus 12 Gallorũ Rex Mediolanum bello inuadit*

Ludouicus Francorũ Rex duodecimus, Octobri menſe eiuſdem anni, non ſine ualida militum manu Inſubres denuo inuadit, aſſerens, Mediolanenſem Ducatum hæreditario iure ſibi deberi, quem etiã paucis menſibus poſt, Inſubribus minus fortiter reſiſtẽtibus, obtinuit, Ludouico Sphortia Vicecomite capto, atq; in Franciã abducto, Germanis eodem tẽpore ingenti ſtupore affectis: apparue

*Cruces apparent in ueſtibus hominũ.*

rant etem (res uiſu horrenda) cruces, claui, lancea, uirga, corona, & cætera Dñicæ paſſionis inſignia, paſſim in ueſtibus & corporibus hominum. Ei ſtupori nõnihil tremoris Elephantiæ ſcabies (cui mor

*Scabies Elephantiæ, ſeu morbus Gallicus.*

bo Gallico nomen eſt) prius fere inaudita, nec Medicis cognita, adiecit. Quã diram luem ab anno humanæ ſalutis M. CCCC. XCV. adeo inualuiſſe uidimus

uidimus, ut compluribus ea tabe extinctis, multi membris capti aut truncati fuerint. Graſſante poſt hęc anno Dñi M. D. II. per uniuerſam fere Germaniam peſtilentico ueneno ruricolæ Nemetenſes in agro Bruchſellano Peronicam factionem, nuper in Vngarico monte apud Alſatas attentatam, denuo in lucem reuocare conati, dignas perfidię ac rebellis faſtus pœnas ſubiere, quorum impudens facinus Auſtriadis noſtræ liber V. enarrabit. Qua tempeſtate poſt Georgii Bauariæ Ducis obitum, Maximilianus Cęſar in Philippũ Comitem Palatinũ Rheni ac Bauarię Ducem arma ſumẽs, auxiliaribus sociorꝫ copiis eũdem imperata facere coegit, Bohemis, qui Roperto Bauaro in præſidiũ haud paruo numero uenerãt, uictis atq; proſtratis, uel munitiſſima arce Kopffſteyn, circiter annum Domini M. D. III. ui expugnata. Quã ſtrenuũ & ducem et militem Maximilianus in ea pugna egerit, haud dici poteſt, Mordinagia cum inferioris Alſatiæ Imperiali aduocatia & Barrẽſi dominatu Auſtriacę domui bello coacti, relicto Palatino, nomina dederunt. Pace tandem inter Cæſarem & Philippum firmata, Imperator Germanię Principum conuentũ denuo circiter annum Domini M. D. VI. Colonię indixit celebrandum, in quo uariis nobilium & ciuitatum diſſenſionibus cõpoſitis, Cæſar anno mox ſequente ad Alſatas reuerſus, aliquot dies Argentoraci cum pleriſq; Prin

*Peſtis ualida graſſatur per Germanias.*

*Noua Peronica factio in agro Bruchſellano.*

*Maximilianus Philippũ Comitem Palatinum bello inuadit.*

cipibus degit, Erneſto Magdenburgenſis Eccleſiæ Archiflamine, ipſa Dominica Lætare, Vuilhelmũ tertium Argentinum Præſulem electum, ac confirmatum in cathedrali templo, & Imperatore & pleriſq; aliis Principibus præſentibus cõſecrante. Cui Vilhelmo die Martis proxime ſequẽti, Hagnoiam uocato, Cæſar Imperialibus corona & amictu adornatus, nõ ſine celeberrima pompa contulit regalia.

*Cæſar Argẽtoratũ uenit.*

*Cæſar cõfert Regalia Vuilhelmo Argẽtinenſi Epiſcopo.*

Propoſuerat iamdudum Imperator pro Cęſariano diademate nanciſcẽdo Romam proficiſci, quocirca XVI. die menſis Aprilis dicti anni, Principũ conuentu Conſtantiæ habito, ſuper Venetorum rebellione non pauca conqueſtus eſt, eo ꝙ Gallorum Regi Ludouico duodecimo, cæteriſq; Italiæ Principibus fœdere iuncti, eorundem opera omnes ad urbem Romam aditus ſibi præcluderent. Superuenit & aliud Cæſarianæ in Italiam expeditioni obſtaculum, inopinata uidelicet Philippi Regis Caſtellæ ac Legionis &c. Archiducis Auſtriæ, & Ducis Burgundiæ mors, in quo non modica uincendi hoſtis Maximiliano ſpes fuerat, cui nõ citra maximum luctum, Regio more, mœſtiſſimus parens in dicto Conſtantienſi Principum cõuentu iuſta perſoluit, inito poſt hæc cum Iulio ſecũdo Pontifice maximo, & Ludouico XII. Galliarum Rege, fœdere, Cæſar Venetos anno Dñi M. D. VIII. bello adoritur, inſolentiam ipſorũ domiturũs, quorum uires continuo

*Conqueritur Cæſar de Venetorum rebellione.*

*Perſoluũtur Philippo Regi iuſta.*

tinuo fere quadriennio Marte haud parum contriuit, quos etiam proculdubio imperata facere coegiſſet, niſi Iulii Pontificis et Gallorum regis lubrica fides obſtetiſſet. Minuebant quoq; nonnihil Cæſaris propoſitũ Germaniæ Principes ac ciuitates, illi nihil non ſubſidii ad tam graue ac ſumptuoſum bellum denegantes. Quare circiter annũ Domini M. D. XI. alio Principum Germaniæ cõuentu in Auguſtam Vindelicorum coacto, Venetorum pertinacem cõtumatiam denuo, ſed fruſtra (mortuis em̃ uerba faciebat) conqueſtus eſt. Inde ad Conſtantienſes inter ſe non parum diſſidentes, celerius diuertit, ubi ſedato tumultu Cæſar, circiter annum Dñi M. D. XII. XXII. die Februarii menſis Herbipolim ueniens, aliquot diebus ante quadrageſimalis ieiunii obſeruantiam, cum omni clientela genio indulſit. Inde per Vueſtraſiã ad Mediomatrices iter faciens, a Metenſibus nullo nõ debiti honoris ac reuerentiæ offitio exceptus, Cæſarium tributum multos annos ibidem ob Imperatoris moram congeſtũ accepit numeratum. Poſt hæc Treuerorum Auguſtam eiuſdẽ anni XI. die menſis Aprilis ſubintrãs, e ueſtigio ſingulis ac omnibus Germaniæ Principibus & ſtatibus Imperialem conuentũ trimeſtri ſpacio duraturum indixit, in quem & Romani Pontificis legatus, Laurentius Campenius, tũc Veltrenſis Antiſtes, & Ludouici Gallorũ Regis oratores, cum

*Lubrica fides Galli Regis.*

*Conuentus Principum Auguſtanus.*

*Cæſar Conſtantiam uenit.*

*Cæſar degit Herbipoli.*

*Maximilianus Imperator Treueris uenit.*

pleriſq; aliis primarię nobilitatis hominibus conuenere, quibus præſentibus præter alia, pro Germaniæ ac totius Chriſtianæ religionis pace ſalubriter tractata, Maximilianus pietate ac deuotiōe motus, reſerata diui Petri ara inconſutilem benedictiſſimi ſaluatoris noſtri tunicam, cum aliis precioſioribus reliquiis ibidem exponi, ac publice oſtendi præcepit. Inde Coloniam deſcendens, in Brabantiam ſoluit, ubi rebus omnibus pro uoto compoſitis, Coloniam reuerſus, Alſatas repetiturus, per Landouiā, & Vuiſſenburgū, Haganoiam uenit, illic hybernaturus, aprorū forſan uenatione, quibus ſacrum nemus, cui Foreſta nomen eſt, abundat, uehementer delectatus. Percepta ibidem Ludouici Gallorū Regis perfidia (nam Carolo Geldriæ Duci contra Brabantinos neruis belli ſubuenerat) illo ut deſertore neglecto, Cæſar rurſus cum ſummo Pontifice pepigit, per Germanias edicendo ſub capitali pœna, ne Gallo Regi militarent, aut ullas ſuppetias ferrent. Qua tempeſtate Rauenna ciuitas e Gallorum manibus recepta, Romano Pontifici reſtituitur, Francigenarū gente occiſa, & illinc expulſa. Maximilianus quoq; inſubriū Dux per idem tempus Cęſariani militis præſidio eiectis Gallis, Mediolano uictor potitur. Breſſam inſuper Italiæ urbem Cæſarianus exercitus eadem tempeſtate forti manu debellans, neq; ſexui neq; ætati parcens. Venetorum ac fideifragorum ci

*Cæſar uenit Haganoiam.*

*Cæſar fœdus iniit cū ſummo Pontifice*

*Rauenna ciuitas, Gallis expulſis, recuperatur.*

rũm ciuiũ ultra ſeptem milia trucidauit, Iulio ſecũ do Pontifice anno mox ſequente, qui numerabať tertiuſdecimus, ſupra ſeſquimileſimũ a Chriſtiparę uirginis partu, uita functo, cui Leo decimus ſufficitur. Quo tempore Maximilianus Cæſar inito cum Regibus Angliæ, Hiſpaniæ, & Arragonię fœdere, ſuperbientes Venetos grauius impugnans, Gallis ex omni Lombardia, quam ad annos ferme decem occupauerãt, eliminatis, uictor triumphauit. Nam ſeptima die menſis Octobris eiuſdem anni, Cęſariani milites haud procul a Vincentia cum Venetorũ copiis manus conſerentes, ſupra nouem milia occiderunt, cõpluribus primariæ nobilitatis militibus captis. Qua uictoria Maximilianus animoſior redditus, coacto numeroſo equitum ac peditum populo, Angliam uerſus, Heinrico Regi præſidium adducturus, caſtra mouit, ubi coniunctis uiribus Imperator & Anglus, Tornacum munitiſſimam ciuitatem, tũc Gallo audientem, obſidione cingentes, e Gallorum exercitu compluribus occiſis, CCC. & quinquaginta captis, in prædam quoqꝫ centum & quinquaginta onerariis curribus, quibus uictualia Tornacenſibus a Francorum Rege mittebantur, abductis, XIII. ſigna ex uicto atqꝫ in fugam uerſo hoſte obtinuerunt. Quare Tornacenſes omni ſpe deſtituti, ſeſe Maximiliano Cæſari dediderunt, qui ciuibus impune abire permiſſis, mœnia & turres ur-

*Breſſa urbs expugnatur.*

*Cæſar fœdus init cum Angliæ Rege.*

*Cæſar Tornacum expugnat.*

*Tornacenſes ſe Cæſari dedunt.*

bis ſolotenus demoliens, reliquias Anglo Regi donauit. Qua tempeſtate conductos quoq; ingenti ſtipendio Heluetios Maximilianus, adiuncta etiam equitum turma, quibus Vdalricum Vuirttenbergium Principem, eius belli primarium ducem præfecerat, ad recuperandum ſuperioris Burgundiæ Ducatum, miſerat, qui per Sequanos ad Heduos deuenientes, Diuionem obſeſſam tot & tam ualidis æne arum glandium tormentis (quæ bombardæ dicuntur) impulſoribus concuſſerũt, ut & incolæ & Galli, qui in præſidio erant, reſiſtere diffidentes, pacta pecunia conati ſunt emere pacem, fuiſſetq; tum procul dubio de Galli Regis faſtu actum, niſi hoc pacto a Diuionenſis urbis obſidione ceſſatum eſſet. Per idem tempus orta inter Senatum & plebem Vuormatienſem factione, nonnulli plebis in eo negotio anteſignani, Cæſaris edicto in aliorũ exemplum capitali ſupplicio damnati ſunt, Franciſco Sickingio ob eam rem Vuormatienſibus poſtea bellum indicente, poſthabitis etiam omnibus Cæſareis inhibitionibus, quibus id facere uetabatur. Anno deinde decimoquinto ſupra ſeſquimileſimũ Heluetii Cæſarianas partes tutaturi, copioſo exercitu Gallorum Regi, Mediolanenſium Ducem bello inuadenti, occurſant, cũ eodem decimatertia die menſis Septembris prelio manus conſerentes, ubi ad quatuor fere horas neutra partium cedente, utrinq; fortiter pugnatum

*Diuio à Cæſarianis obſidetur.*

*Bellum Franciſci à Sickingen contra Vuormatienſes.*

gnatum eſt, donec nox conflictũ dirimeret, poſtridie uero a ſolis ortu reintegrato prælio, tormentorum æneas glandes iaculantium, et cataphractorum militum copia Gallus cruentoſam admodum uictoriam obtinuit, Heluetiorum aliquot milibus deſyderatis, in Gallorum quoq; exercitu duodecim milibus interemptis. Durante ſub idem tempus bello inter Vuormatienſes ac Franciſcũ Sickingium, conuocatis Principibus Imperii Moguntiã, Maximilianus abſolutum a proſcriptione Franciſcum denuo recipit in gratiam, factis inter eundem et Vuormacienſes belli induciis. Præſagiẽs poſt hæc prudentiſſimus Cæſar, numinis (uti par credere eſt) inſtinctu cum Germaniæ, tum Chriſtiano orbi imminentia pericula, ſeq; Romani regni gubernacula haud diutius moderaturum, frequentiorem Principum conuentum in uindelicorũ Auguſtam, circiter Dominicæ natiuitatis annũ M.D.XVIII. conuocat, ubi Vdalrico Duce Vuirttenbergio Imperiali proſcriptione ob cõtumatiam mulctato, cum Imperio Romano, tum nepotibus ſuis conſulturus, cœpit cum electoribus ſuper futuri Romani Regis, nepotis uidelicet ſui, Sereniſſimi atq; Catholici Principis ac Domini, Dn. Caroli, Hiſpaniarum Regis &c. electione uehementius cõſultare. Super quo negotio inita inter Principes cõcordia, alioq; ob id conuentu in proxime tũc ſequentem æſtatem decreto, Cæ-

*Pugna Heluetiorum cum Gallo Rege.*

*Conuentus Principum Moguntiæ.*

*Præſagit Maximilianus Cæſar mortẽ ſuam.*

*Cæſar corripitur morbo.* ſar Oenipontem adiit, ubi nõnihil aduerſæ ualetudinis ſe corripuiſſe ſentiens, dimiſſo Tyrolenſi Comitatu, in Auſtriã e ueſtigio feſtinat, uocato tamen prius Georgio Rietſchio, Charthuſianę domus Friburgenſis priore, ut ſe comitaretur, quo uiro cũ integerrimo, tũm doctiſſimo multos annos & a confeſſionibus, & a cõſiliis uſus erat familiariſſime, qui confeſtim ipſum ſequutus, ab eius latere, donec ſpiritum exhalaſſet, diſceſſit nunq̃. O Cæſarem Chriſtianæ pietati deditiſſimũ, ac cœlo dignum, qui uicinam mortem pręſagiens, prius de animi q̃ corporis Medico curabat. Inualeſcẽte poſt hæc brumali tempore, morbo, tandem in oppido Vuelſa lecto decubuit, ubi fatalem horam adeſſe ſentiens, teſtamento prius ædito, exangue corpus ſuum citra omnem exenterationem, Regibus fieri cõſuetam, a morte rudi xilino inuolutum, calce quoq; naribus, ore ac auribus oppletum, querno capulo in eo uſum triennio ante fabrefacto incluſum, iuxta dulciſſimæ quondã genitricis ſuæ Leonoræ Imperatricis oſſa in Noua Ciuitate ſuperioris Auſtriæ condi pręcepit, quibus ex ordine his qui tum aderant commiſſis, animæ ſalutis anxius, cœleſtis antidoti remedia quærens delictorum ſuorũ, ratione haud citra ſummam contritionẽ dicto Charthuſiano patri expoſita, ſacratiſſima ſynaxi, Dominici uidelicet corporis & ſanguinis uiatico munitus, etiam extremæ unctionis ſacramentum

*Georgius Rietſchius Cæſaris à cõfeſſionibus.*

*Cæſar Vuelſæ lecto decubuit.*

mentum

mentum nõ ſine maxima deuotione ſuſcepit, omnẽ regiam ac terrenam poteſtatem in Dei creatoris ſui manus reſignans. Nec a quoquam ipſum adhortan te, poſthac uel Cæſar uel Archidux, ſed ut priuatus homo, proprio duntaxat nomine appellari uoluit. Mortis tandem horam adeſſe ſentiẽs fortiſſimus ac magnanimus Princeps, armatura fidei, lorica iuſti tiæ, ac gladio ſpiritus accinctus, cõtra nephandi ho ſtis incurſus ſtrenuũ agens militem, humiliato cor de ſpiritum Deo cõmendans, duodecima die men ſis ianuarii, circiter annum Domini M. D. XIX. hominem exuit, anno ætatis ſuæ undeſexageſimo, ubi Romano regno iam annis tribus & triginta pręfuerat. Quis tam Chriſtianum & tranquillum uitæ exitum nõ ſingulari diuinæ prouidentiæ adſcribat? piam etenim & innocuã uitam quietior ac minus hor renda mors ut plerunq; comitatur. Cuius exangue corpus cum maximo planctu ligneo capulo, uti ui uus commiſerat, impoſitũ, a primariis Archiduca tus Auſtriæ nobilibus a Vuelſa in ſuperioris Au ſtriæ Nouam Ciuitatem, Regia funerali pompa (ut decuit) elatum atq; ſepultum fuit. Non potuit hoc Imperatore ſuo, ac patrię parente orbata Germania non lugere, quem in uita ſemper & pacificũ, iuſtiſſi mum ac clementiſſimum habuerat Imperatorem. Quocirca indicto publico luctu, a choreis, ſaltatio nibus, & ab id genus ſpectaculis ad tempus ceſſatũ

*Maximilianus reſignat Deo poteſtatem.*

*Maximiliani Cæſaris corpus in Noua Ciuitate Auſtriæ ſepelitur.*

*Publicus luctus idicitur.*

eſt, cunctis fere Principibus ac ciuitatibus in defun cti Cæſaris ſui animæ ſalutē oppidatim ac pagatim myſtico libamine pro Chriſtiano more parentanti bus, nihil dubitantes, eam nūc cum Superis ambro ſia ueſci animam, quam heroicis uirtutibus plenam ex corporis ergaſtulo migraſſe nouerāt, quas Maxi miliani uirtutes ſcitu dignas quinto Auſtriadis no/ ſtræ libro clarius in literas referemus.



MArgaritha, archidu ciſſa Auſtriæ, inter Maximiliani Cæſaris libe ros ſola a morte parentis ſuperſtes, uix bimula, Flā drenſiū (ut diximus) ope ra, inuito parente, Carolo octauo Francorū Regi fue rat deſponſata, quā tamen adultam pudicitia, uenu/ ſtate, ac morum integritate, nulli ſecundā ſponſus repudiauit, Anna Britanniæ Duciſſa in locum eiuſ dem aſſumpta, quod indignum facinus pleriꝗ im/ matura Caroli morte dixere punitum. Nupſit poſt hæc Margaritha Allobrogū Duci, ex quo nullius prolis mater facta, maritū paucos poſt annos mor/ te amiſit, uidua ad Burgūdos reuerſa, ubi hactenus in cœlibatu pudiciſſime uixit, nihil a maiorum ſuo/ rum uirtutibus degenerans.

*Margaritha repudiatur à Gallo.*

*Margaritha nupſit Allo brogum Du ci.*

Cap.



## CAP. VII.

Philippus, Rex Caſtellæ, Legionis & Granatę, archidux Auſtriæ, Dux Burgundię &c. Comes Tyrolis, et ab Habsburg, Maximiliani Cæſaris ex Maria Caroli Burgundionũ Ducis filia primogenitus, a puero nihil ab auitis moribus degenerans, nullius non uirtutis de ſe ſperandę dedit inditiũ. Cœleſtis nanq; animi indoles, quę nihil humile, nihil nõ excelſum ſpectabat illi adeſſe uidebatur, quam ingenii bonitatem caſtigatior educatio (quæ uel ipſa natura potentior eſſe conſueuit) multo meliorẽ reddiderat. Huius etẽ pueritiæ moderator, & in bonis literis inſtitutor (iubente Maximiliano Cæſare) fuerat Franciſcus Buſſideanus, poſtea Archiflamen Biſũtinus, uir totus ad gloriam natus, citra cuius cõſilium Philippus Archidux uel maturiori ætate omnino gerebat nihil, cuius ductu & auſpitiis optimus Princeps nõ

*Educatio proba multũ conducit.*

*Præceptor Philippi.*

niſi ſui ſimilimos in interiorem conſuetudinem ad-
mitttebat, a quibus neq; uenderetur, neq; circundu
ceretur, ſed qui nihil inſtillarent auribus, niſi quod
*Quales debeant eſſe principum à conſilijs.* pium, quod uerum, quod ſalutare: qui prudentio-
res etiam eſſent, q̃ ut pœnitenda ſuaderent: ſanctio
res, q̃ ut patriæ rem ſuis commodis poſthaberent:
grauiores, q̃ ut poſſint adulari: Liberiores, q̃ ut nõ
auſi eſſent obſtrepere parũ ſe digna molienti: quorũ
conſiliis factũ eſt, ut Philippi Archiducis adoleſcen
tia præcoci ingenio uirilem grauitatẽ præ ſe ferens,
iuſtitia, clementia, cæteriſq; uirtutibus omnibus,
Principem decentibus, omnium & ſubditorũ & ex
terorũ animos, in reuerentiã & amorem ſui, quaſi
numen quoddam alliceret, cui præter has ingenii
dotes, corporis uigor, oris probitas, & formæ di-
*Mira Philippi dignitas.* gnitas, quibus uel hoſtem mouebat, nonnihil fauo
ris apud omnes conciliabat. Vnde pertranſeuntis
ipſius quondam Gallias, Celticæ cũ matronæ, tum
puellæ diuinam pulchritudinem admiratæ, omnia
bona tanto Principi precabantur, feliciſſimam eam
appellantes fœminam, quam talis maritus ſibi ma-
trimonio iungere, quamq; amplecti, fœcundare, ac
matrem ex ſe reddere haud dedignaretur. Quarum
*Iohanna, Hiſpaniæ Regis filia, datur nuptui Philippo.* rerum fama Ferdinandus, Hiſpaniarum Rex, & Eli
zabetha Regina, permoti, ſecundo genitã filiam ſuã
nomine Iohannam, mira uenuſtate ac pudicitia uir
ginem, illi nuptui tradiderunt, eam cum Philippo
marito

ſucceſſioni deſtinãtes. Vnde Caſtellæ, Legionis, ac Granatæ regna poſt aliquod tẽpus illi uiuo acceſſere, ad quæ poſſidenda, per mare Gallicum cum dulciſſima thori ſui conſorte, quam unice diligebat, nauigãs, Neptunũ & Aeolum ſuborta tempeſtate ſenſit iratiſſimos, æſtu maris adeo feruẽte, ut de totius claſſis, Regis ac Reginę uita iam pene deſperaretur, diuini tamen inuocati numinis ope, ſuſceptoq; ad diui Iacobi Apoſtoli, Hiſpaniarum patroni, limina uoto, procellis tandem ſedatis, incolumes optatum portũ ſubintrarunt, dignis honoribus excepti. Philippo paucis menſibus poſt (fatis neſcio quibus) uitam morte commutãte, circiter annum Domini M. D. VI. cui non ſinę maximo luctu in Hiſpaniis ſepulto, Regia coniunx, proceres, cum plebe Hiſpaniarum Regio more parentarunt. Fuiſſet nimirum Germanis et Hiſpanis Philippi interitus multo maiori luctu deflendus, niſi adhuc in ſuperſtite ſobole uiuus crederetur: reliquerat em̃ ſex liberos ex præfata Iohanna genitos, duos mares, nunc Chriſtiani orbis lumina, Carolum ſcilicet quintũ, præſentem Romanum Imperatorem, ac Hiſpaniarum Regem &c. ac Ferdinandũ, Vngariæ ac Bohemiæ Regem, Archiducem Auſtriæ &c. quatuor item puellas, quorũ fata alibi explicabimus, Ferdinandi, Hiſpaniarum Regis, atq; Elizabethę Reginæ, præfati Philippi Regis ſoceri et ſocrus, bellicas uirtutes, et Chri

*Philippus Rex nauigat in Hiſpanias.*

*Ferdinandus Hiſpaniæ rex uir bellicoſus*

ſtianæ pietatis augendæ zelum, obiter interea pau-cis deſcripturi. Paribus nanq; auſpitiis hi feliciſſimi coniuges omnia regni ſui negocia adminiſtrantes, bellum ſuſceperunt, & ad pietatem ſimul, & ad glo-riam maximum. Nam Beticę partem, quam Grana-tam uocant, Mauriq; præſidiis annos circiter octua-ginta occupatam tenebant, adorti, ſexto demum an-no receperunt, ſæpiſſime fuſis acie Mauris, qui ma-ximis opibus obnixi reſiſtebant, pulſiſq; Mauris, Mahumetiq; ſuperſtitione, Deo Opt. Max. tẽpla condiderũt, ueri cultus & Chriſtianæ religionis in-dicto ritu. Vnde Ferdinãdus Catholici cognomen-tum ſortitus eſt, Hiſpaniam pręterea omni ſuperſti-tione purgauerunt, exactis inde Iudæis omnibus, & his qui Iudæorum ritibus imbuti, nominetenus Chriſtiani uulgo Marrani dicuntur, quorũ magna uis erat. Cuius Ferdinandi, Elizabethiſq; auitum ſtemma noſſe cupiens, Michaelis Rictii libellũ con-ſulat, uoti (ni fallor) ſui compos futurus.

*Regnũ Granatæ ſubiugatur à Ferdinando.*

*Mauri cõuertuntur ad fidem per Regem Hiſpaniæ.*

*Iudæi ac Marrani expellũtur Hiſpania*

## CAP. VIII.

A Diui Cæſaris Maximiliani obitũ eueſtigio in Imperio bellici tumultus excitantur, quocirca principes Romani, Imperii electores, ſeptimo a Ma-ximiliani Cæſaris interitu mẽſe, cui nomẽ Iulio eſt, Franckfordiæ conuenientes, unanimi ſuffragio Ca-rolum, Hiſpaniarũ, utriuſq; Siciliæ, Hieruſalem,

Dalmatiæ



Dalmatiæ, ac Croatię Regem, Archiducem Auſtrię, Ducem Burgundiæ, ac Brabantię &c. Comitem Tyrolis, Flandriæ ac Habsburgi &c. dicti Maximiliani ex pręfato Philippo Rege nepotem, undeuigeſimũ ætatis ſuæ annum uix agentem, Romani Imperii & Regem & futurum declararũt Auguſtũ, petitionibus Frãciſci, Galliarum Regis (qui tunc largitionibus ac magnificis pollicitationibus candidos electorũ animos corrumpere nitebatur) omnino poſthabitis, Hieronymo Comite de Nagorolis, haud inepte ſequenti tetraſticho per idem tempus ludente.

Poſtulat imperium Gallus, Germanus, Hyberus,
Rex genus hoc triplex Carolus unus habet.
Cæſare in hoc populo fiet ſatis omnibus uno
Imperium eſt igitur Carole iure tuum.

Diuulgata poſt hæc per Moguntinum Archiſla

men apud Franckfordianos electiõe, Fridericus Bauariæ Dux, ac Comes Palatinus Rheni, frater Ludouici Ducis Bauariæ, Comitis Palatini, & electoris nuncius & orator Principum & electorũ in Hiſpanias cum electionis inſtrumento miſſus, Carolũ deſignatũ Cæſarem indicat, Hiſpanis eam ob rem haud parũ ſibi congratulantibus, nam ante hũc Hiſpaniæ Regũ Romani Imperii ſceptra geſſit nullus. Vnde nauigiis et cõmeatu ad proxime ſequentis anni uernale tempus magnifico ſumptu comparatis, rebuſq; in Hiſpania ubiq; cõpoſitis, inuictiſſimus atq; Catholicus Rex Carolus anno humanæ ſalutis M. D. XX. ex Hiſpania cũ Regia claſſe, Maio menſe ſoluens, applaudentibus Neptuno & Aeolo, maiori Britanniæ (quam Angliam uocant) primum appulit, a Rege ac Regina ſibi arctiſſimo ſanguinis uinculo & affinitate iunctis, nullo nõ Regiæ hoſpitalitatis officio cũ exceptus, tum ad aliquot dies baſilice fotus, quibus ſalutatis, cœptum nauigationis ſuæ iter proſequens, bonis, ut aiunt, auibus optatũ Germaniæ portum ſubintrauit, officioſe ab omnibus, cum patribus tum plebe, congratulatoriis muneribus & honoribus affectus, cuius aduentu per Germanias inuulgato, Principes ac ciuitates Imperii per legatos & oratores ſturnatim, ut dicitur, aduolarunt Cæſari ſuo congratulatũ. Diſpoſitis interea per æſtatem ſingulis & omnibus rebus Regiæ coronatio

*Fridericus Bauariæ dux in Hiſpanias mittitur.*

*Carolus Cæſar nauigat in Britanniã maiorem.*

*Carolus ſoluit ex Anglia*

*Carolus uenit in Germaniam.*

ronationis magnificentiã decẽtibus, inuictiſſimus atq; Catholicus rex innumera diuerſarũ nationum nobilitate ſtipatus, Octobri menſe Aquiſgranũ ueniens, a Colonienſi Archiepiſcopo in Chriſtiparæ uirginis templo xxi. die præfati menſis, pro more, in Germaniæ Regem atq; electum Cæſarem inungitur ac coronat̃. A Regii diadematis adeptione mox Coloniam reuerſus, ubi aliquot dies moratus, electorum Principum conſilio Imperialem conuentũ apud Vangionas poſt inſtantem proxime Chriſtianum natalem indixit celebrandum, Nuremberga tunc ob graſſantem illic peſtilentiam præterita. Cæſare igitur cum Principibus anno Domini M. D. XXI. per quadrageſimalis abſtinentię tempus Berbotomagi ſeu Vuormatiæ congregatis, habito ſuper uariis & arduis orthodoxæ fidei, ac cæteris Imperii negociis tractatu, ſeditioſiſſimas quaſq; ante hac a ſacris conciliis damnatas impias, & hæreſim ſapientes doctrinas, eorumq; cũ præcones, tum ſectatores publico edicto, electorũ Principum aſſenſu, omnino tolli ſanciuit. Præſagiebat nimirũ prudentiſſima indoles Cæſaris, pernitioſiſſimas factiones inde orituras, quanq̃ ab Imperatoris diſceſſu parui apud multos hoc edictum fuerit momenti. Tactus interea Galliarum Rex Franciſcus inuidia, tam ſancta & pia Cæſaris incœpta turbaturus, & in Hiſpanos & Flandrẽſes bella mouet, ad quæ ſedanda, Im

*Carolus in Romanũ Regem Aquiſgrani coronatur.*

*Conuentus Cæſaris ac Principum Vuormatiæ.*

*Decretũ Cæſaris ac Principum.*

*Franciſcus Galliæ Rex Cæſarem bello laceſſit.*

periali cõuentu ſoluto, Carolus Imperator Brabantiam adiit, coacto illic numeroſo tam nobiliũ, q̄ plebeiorum Germanorũ exercitu, ad Gallum hoſtem expugnandum, qui oppidulum Maſiers obſidione cingentes, infecta re tandẽ a Cæſare partim dimiſſi, domum repedarũt, retentis tamen aliquot apud ſe militibus, cœptum in Gallos bellum Carolus proſequitur. Poſt aliquos menſes adulto iam fere, anno a uirginis partu M. D. XXII. in Hiſpanias nauigio reuerſus. A cuius è Germaniis diſceſſu, etſi Sereniſſimus Princeps & Dominus, Dn. Ferdinandus, Archidux Auſtriæ &c. frater Cæſaris, Vicarium Imperii ageret, regimen q̊q; Imperiale ex Romani regni ſtatibus maturiori deliberatione inſtitutum fuiſſet, cœperunt tamen Alemani uelut acephali, miris modis inter ſeſe paſſim diſſidere, ruſticana plebe in clerum ac nobilitatem cornua erigente, ueluti libro quinto Auſtriadis noſtræ apertius dicetur. Nec tamen interea Imperator Carolus a bello in Gallum hoſtem continuato deſtitit, quem etiam ſummi Pontificis Leonis decimi, & Adriani ſexti præſidiis omnino Italia expulit, Henrico Anglorũ Rege Chriſtianiſs. pro uirili Cæſareas quoq; partes fouẽte. Mortuo poſt hęc Adriano ſexto, & Clemente ſeptimo Papali mitra redimito, uidens Galliarũ Rex Germanos paſſim inter ſe, cũ in religione, tum alias diſcordes, atq; ob id Cęſareis mandatis minus

*Cæſar in Hiſpanias reuertitur.*

*Tumultus in Germania.*

*Fauebant Cæſari Pontifices Romani, ac Rex Angliæ.*

audientes

audientes, faciliorem ſibi uictoriā inde promittēs, denuo Mediolanenſem Ducatū anno Domini M. D. XXIIII. ſeptembri menſe, maximis & peditū & equitū copiis inſtructus, bello adoritur, captoq; intra paucos dies per deditionem Mediolano, Papiam urbem Ticino fluuio adiacentē, quatuor præſidiariis Cæſarianorum militum chiliadibus munitam, obſidione circumuallat, quam etiam ſæpius expugnare conatus, ſtrenua Germanorū & Hiſpanorum, qui pręſidio urbi aderāt, opera infecto ſemper negotio pedem retrahere coactus eſt, qua Papienſis urbis obſidione a menſe ſeptēbri præfati anni, uſq; ad ſequentis anni intercalarē menſem a Gallo Rege continuata, Imperatorius exercitus Papienſes iam fere extrema paſſos liberaturus, die xxiiij. dicti menſis, qui & Carolo Cæſari natalis erat, Anno mundanæ ſalutis M. D. XXV. pauco admodum milite, ſi hoſtem conferas, auſpicatiſſimo prętio Gallum inuaſit, uictoria Cæſari eueſtigio applaudente, qua pluſq̃ octo millibus hoſtilis exercitus interemptis, ac Ticini uorticibus ſuffocatis, paucis etiā fuga elapſis, cæteri om̄es ad ultimos metus compulſi, ſponte manus porrigentes, ſeſe Cæſarianis dediderunt. Ipſo Galliarū Rege, ac Rege Nauerræ, cum plęriſq; aliis Celtarum Principibus, ac primariæ nobilitatis hominibus, Regem in hoc bellū ſequutis, ex eadem pugna captiue in Cæſariana caſtra abductis, quorū

*Franciſcus Galliarū Rex in Italiam reuertitur.*

*Vrbs Papienſis obſidetur.*

*Cæſariani milites fundunt Gallos.*

*Rex Galliarū capitur.*

nomina quinto Auſtriadis noſtræ explicabimus, ibidem ut Galloru͞ Rex in Hiſpanias Cæſari tranſmiſſus, cum eodem tandem datis obſidibus in gratiam redierit, ſilentio minime prætermittturi. Nec tu͞c factionis ruſticanæ plebis, ſeruilium bellorum ſimilimæ, qua paſſim eodem anno uernali ac ęſtiuo tempore in Germaniis, non citra maximam Chriſtiani ſanguinis effuſionem laboratum eſt, obliuiſcemur. His nanq; turbis pluſq̃ centum millia uiroru͞ (res auditu flebilis) temeritate & impietate ſua intra paucos menſes per Germanias mortem oppetieru͞t, authoribus harum ſeditionum partim ſupplicio affectis, partim commeritam pœnam adhuc præſtolantibus. Quod ſi Cæſareo pio & ſancto edicto tu͞c auditum fuiſſet, haud quaq̃ hos luctus incidiſſet Alemania. Sed ad Cæſarem redeamus, qui anno mox ſequenti, quem uigeſimumſextu͞ ſupra ſeſquimileſimum a Chriſto nato computabant, undecima die menſis Martii, cu͞ pudiciſſima & nobiliſſima domina Iſabella, Luſitanici Regis filia, apud Hiſpalim Beticæ urbe͞, non ſine Regia pompa nuptias pro Chriſtiano more celebrauit, cuius Hymenæo S. P. Q. Hiſpalenſis co͞gratulaturi, præter cæteros honores ſeptem quoq; triumphales arcus cum ingenti ſumptu, tum miro ingenio fabrefactos, diuerſo tamen urbis loco introeunti Reginæ ciuitatem co͞tuendos erexerant, quorum primus ſtatim in ipſa porta Reginali

*Horrenda factio Germanicæ plebis.*

*Cæſar nuptias Sibiliæ celebrat.*

*Spectaculum ſeptem arcuu͞ triu͞phalium.*

ginali ſeſe obtulit aſpectui, cuius Apellea pictura omnium oculos in ſe conuertens. In ſummitate Cæſaris Caroli ſtatuā, glauci coloris ueſtitu amictam, & globulum orbis terrarū ſub pedibus calcantem oſtendebat, frontiſpitio eiuſdem arcus effigie prudentiæ, cum hac inſcriptione inſignito, ſacratiſſimi ac maximi Caroli prudentiæ incōparabili S. P. Q. Hiſpalenſis hoc dedicauit, ſub pedibus uero ſequēs legebatur hexaſtichon.

*Primus arcus triūphalis Prudētiæ dicatus.*

Carole quod mundo imperitas felicia quod tu,
Fata etiam cogis rebus adeſſe tuis.
Quod te Turca ferox, ꝙ te tremit Aphrica tellus
Et uidet exitio te ſupereſſe ſuo.
Hoc tua diue facit prudentia, quæ tibi laudis,
Hæc ſacrata manu maxima teſtis erit.

Secūdus triumphalis arcus prope Chriſtiparæ uirginis ędem Fortitudini erat dicatus, ad deſignandū poſt prudentiam Reges & Principes in primis decere fortitudinem. Eius pegmatis faſtigium Cęſaris ſimulachrum, Martialibus armis inſtructum, ac nudatum enſem dextera uibrantis, ſuperbiamqꝫ ſub pedibus proterentis, cum hoc lemmate decorabat, Cęſareę fortitudini, totius Chriſtiani orbis Remp. protegenti, S. P. Q. Hiſpalenſis huncarcum triumphalem conſecrabat. Fortitudinis uero ſtatuæ ſequens carmen affigebatur.

*Secundus arcus triūphalis Fortitudini dicatus.*

Non nos quod uictum ui debellaueris hoſtem
Hæc damus auſpitiis Carole magne tuis
Non quod ſpes omnis in te inclinata recumbit,
Ne lacerent auidi uiſcera noſtra lupi,
Sed quod uincendo te, ſis te fortior, inde
Laudibus hæc creſcunt pegmata celſa ſuis.

*Tertius arcus clemētiæ Cæſaris dicatus.*

Tertius arcus triumphalis prope diui Marci templum, Deæ Clementiæ uiſebatur erectus, quod Reges ac Principes præter clementiam magis exornet nihil; ut enim fortitudinē Principis populus ueretur obediendo, ita manſuetudine ac clemētia haud uulgari amicitia in eundem afficitur. Summitatem huius arcus Cæſaris ſimulachrum, thorace ac lorica munitū, galeam, ferreas chyrotecas, & gladium in faſciculum colligatos iuxta pedes habens iacentes, occupabat, Clementiæ ſtatua dextram manum exporrigente, ac furentis iræ effigiem ſub pedibus calcante. In anteriori arcus parte cum hac inſcriptione locata, Clementiæ Cæſaris uiolenter oppreſſos erigentis, S. P. Q. Hiſpalenſis hoc fieri iuſſit. Viſebatur & illic ſequens hexaſtichon adſcriptum.

Non minor eſt uirtus, q̃ debellare ſuperbos
Quā ſpolia ultori uicta referre Ioui,
Parcere ſubiectis, hæc eſt tua gloria Cæſar,
Conuenit hæc fronti laurea ſola tuæ.
Fortis homo es, prudens Rex, ac clementia ſola
Ex homine & Rege te facit eſſe Deum.

Quartum

Quartum triumphale pegma haud procul a diuæ Catharinæ templo extructũ, pientiſſimæ Paci conſecrabatur, a clementia nanq; optatiſſimam cunctis Pacem proxime ſequi congruit. Huncarcum effigies Cæſarem referens, talari ueſte amicta, & diſcordiam utraq; manu pugione armatã ſub pedibus conculcans, cum hoc lemmate adornabat, Ob pacem, prudentia, fortitudine, ac clementia Cæſaris (fugata toto Chriſtiano orbe diſcordia) obtentã, S. P. Q. Hiſpalenſis hac aurea ætate clementiſſimo Principi hoc extruxit. Pacis uero effigiei ſequentes adſcripti erant uerſiculi.

*Quartus triumphalis arcus Paci dicatur.*

Ergo erit ut taurum cum Tigride iungat aratro
Paſtor, & innocuo nubat ut agna lupo.
Prælia dediſcat miles, pax omnia paſſim
Occupet, & terras incolet alma ſuas.
Omnia debemus tibi pacatiſſime Cæſar
Cuius ab aſpectu pax ſine labe fluit.

Quintus triumphalis arcus Iuſtitiæ (ex qua cum diuinæ, tum humanæ laudes naſcuntur) dicatus, prope diui Iſidori templum imminebat, in cuius ſummitate ſimulachrũ Cæſaris Martialibus armis ueſtitum, dextra manu radiantem gladium, ſiniſtra uero Regium tenebat ſceptrũ, anteriorem arcus partem Iuſtitia cũ adiũctis comitibus, Aequitate uidelicet, Concordia, Remuneratione bonorũ, ac Punitione malorum, cum hac ſubſcriptione adornabant.

*Quintus triumphalis arcus Iuſtitiæ dicatus.*

Ob ſacratiſs. Cæſaris iuſtitiam, bonos extollentem, malos uero opprimentem, S. P. Q. Hiſpalenſis, omnium iuſtiſſimo Principi hoc conſecrauit. Erant quoq; ſequentes uerſiculi Iuſtitię ſimulachro adſcripti.

Vna Dei terris eſt omnipotentis imago
Vna eſt in cœlo candida iuſtitia.
Illa hominum cœtus ſceleroſis excita factis
Fugerat, ad ſummum cum Ioue uecta polum.
Nunc eadem duce, te regum o iuſtiſſime Cæſar
Vera eſt in terris aurea iuſtitia.

*Sextus arcus triumphalis tribus uirtutibus Theologicis ſacrabatur.*

Sextus triumphalis arcus in platea urbis Sibilię, cui Foro Dei nomen eſt, erectus, tribus uirtutibus, quas Theologicas appellant, Fidei ſcilicet, Spei, & Charitati dicabatur, cuius frontem effigies fidei ferream coronam fabricantis, cum hoc lemmate adornabat, (Fides emollit ferrum) Viſebatur quoq; & illic charitatis imago, quaſi auream coronam excudens, cũ hac ſubſcriptione, (Charitas auro precioſior eſt) Aderãt quoq; ſequentes affixi uerſus.

Nulla eſt uirtutum ſpecies, quæ maxime Cæſar
Non colat ingenium nobilitata tuum.
Illæ omnes unum corpus formare paratæ
Dotibus immodicis corporis atq; animi
Formauere tuum corpus ſanctiſſime Cæſar,
Atq; in te ſedes diſpoſuere ſuas.

Septimum triumphalem arcum pro cathedralis Hiſpalenſis

ſpalenſis templi gradibus, Gloriæ dicatum, effigies famæ uelut in totum orbem ſeſe dilatantis, dextra manu tubam quaſi claſſicum ſonantem, gerentis, utroq; latere faſciculis ſignorum & uexillorum cincta, nullo non aromatici odoris genere fragrans, nobili tabat. Vexillo ſacratiſs. Cæſaris Caroli, eiuſq; contoralis Elizæ nomina continente, in anteriori pegmatis parte cum ſimulachro gloriæ, utraq; manu regium diadema tenente, dextraq; Carolũ, ſiniſtra uero Elizam coronante, cũ hac ſubſcriptiõe locatis. *Septimus triumphalis arcus Gloriæ dicatus.*

Quod totus orbis feliciſſimis Imperatori ac Imperatrici debuit, S. P. Q. Hiſpalenſis exoluit. Gloriæ uero imagini hexaſtichon, quod ſequitur, adnotatum erat.

Gloria relliquias hominum poſt ſecula mille
Suſcitat, & uiuos uiuere ſola facit.
Illa dedit Fabios nobis, dedit illa Camillos,
Hæc peperit ſtirpis robora Cæſareæ.
Nunc autem illa tuo de pectore maxime Cæſar
Omnibus in rebus quas facis exoritur.

Vidiſſes in eodem arcu diuerſarum nationum, Italorum ſcilicet, Gallorum, Hiſpanorum, Almanorũ, Maurorum & Indorum, utriuſq; ſexus miro ingenio depictas, ſub nubibus imagunculas, quaſi hæc uerba ipſis adſcripta in Cæſaris præconium proferentes, Vincit, Regnat, & Imperat. Haud procul ab eo loco minus pegma extructum erat, in quo uo

lubilis Fortunæ rotæ ſummitatem Cæſaris imago occupabat, ipſa Rhamnuſia trabali clauo cantum rotæ axi, ut immobilis perſiſtat, aſſignante, quaſi perpetuo ſe Cæſari fautricē promitteret, quæ aliis Principibus ut plærunq; perfida & mobilis cōperta eſt. Supererat adhuc iucundiſſima Cæſaris effigies, Regio ſolio ſidens, quam plæræq; circunſtantes uirtutes coronabant, Cæſareorum regnorum, Principatuum, & Comitatuum armis circumpendentibus, globoq; terrarū orbis pedibus Imperatoris Caroli cum ſequenti carmine ſubiectis.

*Spectaculum rotæ fortunæ*

Maximus in toto regnat nunc Carolus orbe,
Atq; illi merito machina tota ſubeſt.

His arcubus præteritis ac perluſtratis, Cęſaris ſponſa Deo ac diuis in cathedrali templo Hiſpalenſi prius oratione ſalutatis, non ſine magnifica pompa tertia die præfati menſis in Regium palatium, Imperatorem Carolum illic præſtolatura, deducitur. Cui poſt octo dies Sibiliam quoq; cum innumero Epiſcoporum, Prælatorum, Ducum, Marchionum, cæterorumq; nobilium exercitu uenienti, illuſtris Princeps de Arch, eius terræ gubernator, una cum uigintiquatuor urbis Senatoribus, auro & purpura ueſtitis, occurrētes, ipſum, quibus decuit, officiis et honoribus excipiunt, ab eodē uiciſſim benigniſſime reſalutati. Nec deerat ingens plebis turba per tribus diſtincta, Martialibus armis nitens, Cæſari ſuo

gratifica

gratificatura, inter quos omẽs, Imperator Carolus uilloſiori albo uoluto, diuerſis ramuſculis hincin- de auro intextis, uariegato indutus, ac niueo inſi- dens equo, dextraq; manu oliuæ ramũ geſtans emi nebat, ita ut a cunctis conſpiceretur, qui dato prius Hiſpalenſis urbis Archiflamini iuramento, in ciui- tatem non ſine maxima pompa & congratulatione deducitur, ubi ſpectaculo dictorum triumphalium arcuum uehementer oblectatus, cathedralem urbis ædem, Deo gratias acturus, primũ adiit, hinc Regi um palatiũ circiter tertiam noctis horam ingreſſus, a ſponſa officioſiſſime ſuſcipit, quam uiciſſim ami- ciſſime ac pudice reſalutatã Reuerendiſs. Dominus D. Saluiatus Cardinalis, ac ſummi Pontificis Cle- mentis ſeptimi legatus, pro Chriſtiano more, illi matrimonio copulauit. Intempeſta deinde nocte præterita, Archiepiſcopus Toletanus rem diuinã, quam Miſſam uocant, peragit, cui Cæſar & Impera trix deuotiſſime intendẽtes, factis prius de reatibus ſuis ſacerdoti rationibus, ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento ab eodem Archiflamine refecti, precu- liſq; ſuper ſponſum & ſpõſam dicendis, ab Eccleſia ſancte inſtitutis, benedicti, auſpicatiſſimum connu bio ſuo dederunt exordium. Quærentibus etenim primum regnũ Dei & gloriam eius, nihil profecto felicitatis cum præſentis, tum futuræ uitæ deerit. Diſcant ab hoc totius Chriſtiani orbis capite Sacra-

*Saluiatus Cardinalis.*

*Cæſaris Caroli nuptiæ.*

mentorum contemptores, ſuperba impietatis ſuæ colla Chriſtianæ Eccleſiæ iugo ſubmittere, atq; ad Chriſtifidelium unionem redire, ne pertinatia ipſorum perdurante, cũ faſtuoſo lucifero a claritatis ſede in imas infernalium tenebrarũ ſedes, perpetuo cruciandi deiiciantur. Interea dum hæc in Hiſpaniis gererentur, ſummus Pontifex Clemens, Dux Mediolanenſis, Veneti, Gallorum Regis Perlamentum, Angliæ Rex, cæteri quoq; Principes ac ciuitates Italiæ, Cęſaris potentiam ueriti, nouum quoddam fœdus, ut rumor erat, inter ſeſe pepigerunt, ſperantes hoc pacto Neapolitanũ ac Siculum regnum Carolo Imperatori ſe ui ablaturos, ac Germanos cum Hiſpanis tota Italia expulſuros. Cum ex Hiſpaniis militibus ſuis adhuc apud Inſubres degentibus, e ueſtigio præſidia mittit, quo bello in proxime ſequentem deinde annum continuato, Cæſariani milites, tam Hiſpani q̃ Germanicani cõtra Papam & Romanos tunc ingrato Gallorum Regi fauentes, exaſperati, Vrbem Romam (inedia furorẽ augente) anno ſalutiferi partus M. D. XXVII. octaua die Menſis Maii, neſcio & inuito Cæſare, irruunt, capiunt, atq; diripiunt, meta ſeu mole Adriani cum Pontifice in deditionem acceptis, a quo tempore uiginti fere menſibus & Pontifex ignotus latuit, et nihil Pontificiæ authoritatis interea temporis, uel in urbe uel extra exercuit. Quo tumultu illuſtris Dux Borbonius,

*Vrbs Roma diripitur.*

nius, Cæſariani exercitus Imperator, ænea glande traiectus, oppetierat, cuius necē & Germani & Hiſpani ægrius ferentes, atrocius in Romanos ciues ſęuierunt, plęriſq; illorū primo impetu occiſis. Quanta etenim calamitate Romani ciues, cum clerici tum prophani ea urbis oppreſſione affecti fuerint, horret ſcribere calamus, quanquā Superis ſic fortaſſe uiſum fuerat, ad immodicum huius urbis luxum, auaritiam & ſuperbiam cohercendam. Has tamen procellas facilius urbs Roma declinaſſet, ſi Franciſco Galliarum Regi haud plus æquo in Cęſarem adhæſiſſet, iam pridem Thaliæ noſtrę ruſtico admodum carmine in aquilę perſona modulantis, ut ſequitur, admonita.

AQVILA Romam alloquitur.

Hieronymi Gebuileri Carmen Elegiacum.



ALta Panonphæo capitolia ſacra tonanti
Et mihi, cur Gallo tradere Roma cupis?
Me duce quod tuleris claros ex hoſte triumphos
Et foris atq; domi iam meminiſſe decet.
Aphrica dum fieret tibi ſubiuga nobilis atq;
Dum Carthago ruit, non tibi defueram.
Dũ Marius Cymbros, Rheniq; ſubegerat arua
Iulius, auſpitium ſenſit uterq; meum.
Pompeiũ foui, Syriamq; Arabas populantem,
Hyrcanoſq; ſinus Pontica regna ſimul.
Me duce Samnites, periitq; Numantia Pyrrhus
Cumq; Tarentinis ſuccubuere tibi.
Deniq; nil olim clari Romana iuuentus
Geſſit, cui præſens non comes ipſa fui?
Clade cruentoſa Gallus tua tecta ſubegit
Parcendo tremulis nil quoq; tunc ſenibus.
Et iam Tarpeias ſcandiſſet uictor in arces,
Obſtiterit niſi tunc anſeris ipſe canor.
Vrbe tua pulſos Gallos authore Camillo
Tunc, me contempta iam reuocare ſtudes?
Commerui (ſcio) nil, ut mecum Carolus exul
Roma abeat Cæſar caſtus, amanſq; boni.
Carolus Auſtriaco quintus de ſanguine natus,
Cuius maiores inclyta Troia tulit.
Quæq; tibi dederat primos o Roma tyrannos
Illius authores ſtemmatis ipſa creat.

Cognatos

Cognatos igitur cur ſpernas, neſcio, Reges
Atq; peregrinos ſumis inepta Duces.
Carolus hic fato regni moderatur habenas,
Tu, ſcio, Parcarum rumpere fila nequis.
Eſt mihi perpetuo uolucris Iunonia iuncta
Fœdere, quod poterit rumpere nulla dies.
Si ſapias igitur, Gallum in ſua tecta remitte,
Debita nec fato ſubtrahe regna mihi.
Ne ſua commotus ſtridentia fulmina torquens
Iuppiter in ciues ſæuiat uſq; tuos.
Vicimus horrendam millenis faucibus hydram
Vincere te Romam non labor ullus erit.
Vicimus & Gallum, uincemus moxq; Leonem
Appula qui nobis demere regna cupit.

Hac Romanorum calamitate percepta, non potuerunt nõ dolere Veneti, unde auxiliaribus Franciſci Galliarũ Regis, aliorumq; ſociorũ copiis in unum coactis, Cæſarianos milites nedum Siculo regno, ſed tota quoq; Italia propellere conati ſunt. Quocirca exercitu LX. millium ſelectiſſimorum tam equitũ q̃ peditũ, Anno uirginei partus M.D.XXVIII. Iunio menſe, Neapolim hoſtili obſidione circũuallarunt, nihil de illius expugnatione diffiſi. Verum cunctipotentis Dei auſpitio, cuius nutu ſacratiſs. Cæſar noſter Carolus & regit et regit̃, adeo dira faucium & gutturũ inflammata exulceratio ſeu peſtis, Venetorum et Gallorũ caſtra in Iulii menſis caloribus

taliter afflixit, ut aliquot peditũ millibus intra paucos dies eo morbo cõfectis, permultis etiam adhuc languentibus, Veneti pro curandis infirmis, exercituq́ reſtaurãdo, donec Syrius calor deferueret, obſidionem ad tempus ſoluere, Capuamq́ redire ſtatuerunt. In quos, motis iam caſtris, Capuam Auguſto menſe ituros, Cæſariani milites perpauci numero, qui hactenus Neopolitanis pręſidio adfuerãt, a tergo præter opinionem forti animo irruunt, atq́ in fugam uerſos trucidant, & capiunt, haud multis fuga elapſis. Fuitq́ hæc ſtrages Gallorum Regi (ut a fide dignis percepimus) Inſubrica pugna multo funeſtior & calamitoſior, Cæſari uero triumphus glorioſior. Quocirca cœlũ pro Cæſare militare nemo dubitabat. Qui interea ſeptem fere luſtris perpetuo bello paſſim adflictæ ac deſolatæ iam Italiæ ſuccurrere, Germanos item uariis hæreſibus, & erroneis dogmatibus tunc inter ſeſe diſſidentes, ad orthodoxæ fidei unionem reducere parans, quo perfidi Turcæ Tyrannus facilius opprimeretur, a præfato Galliarum Rege Franciſco pacem & fœdus iam diu petitas, nedum circiter XIII. diem menſis Ianuarii, anno humanæ ſalutis M.D.XXIX. ſponte ſub certis cõditionibus & capitulis iniit, uerũ etiam pro pacti firmitate, Leonoram ſororem ſuam, Luſitanico Regi prius nuptã, eidem matrimonio iunxit Regiiſq́ filiis, quos iam diu parẽtis loco obſides habuerat,

*Vincuntur Gallus et Veneti à Cæſare*

*Cæſar fœdus inijt cum Gallorum Rege.*

buerat, impune domũ remiſſis. Interea tam ſanctũ Chriſtiani orbis pacificandi propoſitum ſacratiſſimus Cæſar executurus, claſſe commeatu inſtructa, primum Italiam pro Cæſareo diademate adipiſcendo adire decreuit, cuius tam egregiis conatibus Hiſpani proceres eo lubentius condeſcendebãt, quod abſentis ipſius loco Philippum primogenitũ illius filium dominum haberẽt. A Maio itaqꝫ menſe præfati anni inuictiſs. atqꝫ Catholicus Cęſar Carolus ex Hiſpaniis nauigio ſoluens, circiter præfati anni Calendas Auguſti, ianũæ Ligurum Metropoli appulit, ubi nullo non hoſpitalitatis officio ab incolis exceptus, ad omẽs & ſingulos Italiæ ſtatus, Principes ac ciuitates pacificandas & concordandas ſedulam nauauit operam, uoti ſui haud quaquã fruſtratus, ꝙ præter Florentinos rebellem ſenſerit neminem. Quocirca eoſdem longa obſidione fatigauit, nec tamen interea dignitatis ſuæ rationẽ habere deſtitit. Vt enim maiori authoritate cunctis eſſet, a Clemente ſeptimo ſummo Pontifice præſtito ſuper eccleſiæ orthodoxæ fidei tuitione, ſolito iuramẽto, XXIIII. die menſis Martii, quæ & natalis illi erat, anno uirginei partus M. D. XXX. in multorum Principum præſentia, cum nulla non humilitate ac reuerentia Imperialem coronã Bononiæ accepit. Cuius coronationis celeberrimã pompam, Auſtriadis noſtræ liber quintus planius explicabit. Adepta iam

*Cæſar parat nauigationẽ in Italiam.*

*Cæſar coronatur Bononiæ.*

Imperiali corona, rebuſq; omnibus per Italiam ad nutum pacatis, Cæſar Germaniciſq; rebus conſulturus, Imperialia comitia Vindelicorũ ſeu Rhetorũ Auguſtæ ad Calendas Maias proxime futuras indicebat celebranda, quibus perſonaliter interfuturus aliquot peditum ſuorũ millibus in Florentinæ urbis obſidione dimiſſis, ipſe cũ ſelectiſſimo equitatu nequaq̃ tamen copioſo, Aprili menſe, relicta Italia, per Tridentinã uallem Germanias adiens, tandem Oenipontem uenit, ubi a Germano fratre ſuo, Sereniſſimo Principe ac Domino, D. Ferdinando, Vngariæ ac Bohemiæ Rege &c. illius quoq; coniuge illuſtriſſima, Domina Anna Regina, ac Domina Maria, Sereniſſimi Principis Ludouici, quondam Vngariæ Regis a Turca nuper occiſi, uidua, et ſorore ſua, nullis non officiis & cõgratulationibus ſuſcipiebatur, quorũ præſentia nimirum adeo delectatus eſt (iam enim octo ferme annorum ſpatio illos non uiderat) ut perpetuũ fere Maium menſem cum eiſdem in Oeniponte quieuerit. Comitabatur eum Laurentius Campeius Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, uir magna doctrina, & inæſtimabili morum integritate. Aderant et innumeri cum eccleſiaſtici, tum prophani Principes, Marchiones, Comites, & primariæ nobilitatis ingenui uiri, quorum nomina in Auſtriade noſtra partim explanemus. Cum quibus Iunio menſe præſentis anni, dimiſſo

*Cæſar uenit in Germaniã*

Oenipon

Oeniponte, Druſomagũ petiturus, per Monacum cognatos ſuos Bauariæ duces inuiſurus, iter fecit, ubi uenationibus, cæteris item iucũdiſſimis ſpectaculis aliquot dies recreatus, demũ in profeſto Corporis Chriſti, quod erat X V. dies Iunii, non ſine feſtiuiſſima Principum comitiua, Vindelicorum Auguſtã ingreſſus, a Principibus Electoribus, Clero Senatu, ac ciuibus Auguſtanis, illi occurrentibus, officioſiſſime ſalutatus, atq; in Cathedrale templũ deductus eſt, inde oratiõe ad Superos fuſa, egreſſus in Epiſcopalem curiam diuertit, illic permanſurus, donec ea comitia omnibus Germanię rebus pacatis ſoluantur. Clementiſſima nanq; ac manſuetiſs. Maieſtate ſua, omnes & ſingulos, quantumcũq; ſaxeos Principes, Deo auſpice, ita emolliet, ut ad cor reuerſi, abiectis erroribus, orthodoxæ Catholicæ fidei & ſanctæ matri Eccleſiæ fideliter adhæreant, illamq; ſtrenua opera contra omnes inſultus defendant. Quod ſi qui ſuperbiores illius hortatus neglexerint, conceptis erratibus pertinaciter inhiantes, fortitudine ac potentia ſua eoſdem facile proteret. Quis enim huius grandis aquilæ conatibus poterit reſiſtere? cum poteſtatem habeat ab excelſo. Nam ut Reinhardus in reuelationibus ſuis cecinit: Expandet alas ſuas ad prædam, ungulas acuet in capturam, roſtrum aperiet ut deuoret, ciuitates & caſtra alarum ſonitu perturbabit, et erit luctus magnus &

Cæſar uenit Auguſtam.

acerbus, qualis non fuit a diebus antiquis. Qui habent aures audiendi, audiant, ne ſerius, ut Phryges ſapiant. Stultum eſt enim dicere, Non putaram. Caueat quiſq;, ne ſtultitiæ ſuæ precium ferat pœnitendum. Sed de his plura in Auſtriade noſtra dicturi. Priuſquã ad Ferdinandi Regis geſta calamũ uerterimus, Thaliæ noſtrę ruſticum admodum carmen in præfati ſacratiſs. Cæſaris aduentu ſtridenti calamo, in perſona Germaniæ dęcantatum, ſubnectemus.

GERMANIA
Cæſarem excipit.

SAluus ut aduenias cupimus, ſanctiſſime Cæſar
Omnia cui ſubſunt, nos quoq; noſtra ſimul
Vxores, patriam, ſobolem, charoſq; parentes
Et pecus & ſeruos ſub tua ſceptra damus
Relligio maneat, nobis fac ſancta parentum,
Perdita Vuicleffi dogmata pelle procul.
Tolle Giganteos auſus, linguaſq; procaces
Quæ tentant ſummum commaculaſſe Iouem
Quicquid & in Clero noſtro reperitur abuſus
Corrige, ne lolium ſemina iuſta terat,
Luxus, uenter, Symon, tollantur & otia Cleri,
Et dentur doctis præmia digna uiris,
Non bipedes aſini, non mulio, nõ barathrones
Non luſor tractet myſtica ſacra Dei.
Qui te ſuſpiciunt, clementi reſpice uultu
Tranquillaq; tuum pace foueto Regem.

Regia

Regia prædones populantes ſtrata coherce
Inq; rebellantes dura flagella moue,
Nemo tuo poterit tam ſancto obſiſtere uoto
Tanta cui tellus paret & Oceanus.
Es Superis curæ, datus es quia munere nobis
Aethereo Cæſar terrea quæq; regens.
Auſpicio cœli uictor dominaris ubiq;
Fatorum leges flectere nemo poteſt.
Macte animo Cæſar non pauco carmine uates
Talem te dominum præcinuere ſuum.
Promittunt & adhuc tibi plurima regna futura,
Subdita quæ paſſim barbarus hoſtis habet.
Sit tibi longa dies uitæ, ſint Socratis anni
Quem preſſit uiuum nullus in orbe dolor
Incolumis ſemper uiuat Princepſq; Philippus
Quem peperit coniux caſta Iſabella tibi.
Qua genitrice pater poſt plura prole beatus
Quot Danaus natas, tot ferat illa mares.
Connubio quorum ſeries longæua nepotum
Creſcat & æternum ſit quoq; ſtemma tuum.
Quodq; nouem ſupra coluit iam ſecula Rhenus
Piniferæ Driades, Herciniiq; iugi
Cui dedit illuſtres ortus Troiana propago,
Nuncq; ſuum Regem, Roma Taguſq; colũt.
Quodq; Paleſtini dominũ Mahumete repulſo
Atq; lares Solimi corde ſilente petunt.
Nil igitur magni Fabius, nil maximus eſto,
Tu quia ter nobis maximus unus eris.



## CAP. IX.

NEc Ferdinãdum, Bohemiæ ac Vngariæ Regẽ, Auſtriæ Archiducem, Hiſpaniarum Infantẽ, Burgũdiæ, Stiriæ, ac Carinthię Ducem, Lantgrauium Alſatiæ, Tyrolenſem, & ab Habsburg Comitem &c. Philippi, Caſtellę, Legionis & Granatæ, quondã Regis, ac Auſtriæ Archiducis filiũ ſecundo genitum, & Caroli quinti Romanorum Imperatoris, Germanum fratrem ſilentio pretereamus, cui nulla non uirtute prædito, nemo eſt, qui non omnia bona merito precetur. Maiorum nanq; ſuorum ſimillimus, eorum quæ pio, forti, magnanimo, prudenti ac iuſto Principi congruunt, intermittit nihil. Adduunt non parũ ſplendoris claritudini ipſius, politiores literæ, quibus tenera ætate ſub præceptoribus haud pœnitendis imbutus (adeo feliciter profecit) ut quoſcunq; etiam doctiſſimos, Latine uel ſcribentes, uel

*Ferdinandus probe literas latinas callet*

tes, uel

tes, uel loquẽtes intelligere, illiſq; citra interpretem cum docte, tum eleganter reſpondere queat. Nec ullum, modo arduis Reip. negotiis non impediatur, diem abire ſinit, cuius nõ aliquam ſucciſiuã horam (ut homines fide digni nobis retulerunt) Latinarũ hiſtoriarum lectioni ſedulo impertiatur, inde nimirum exemplis uetũſtiſſimorũ heroum, & ad uitanda pericula cautior, & ad res inſigniter gerendas cũ animoſior, tum prudentior futurus, quo zelo ad orthodoxæ fidei, ſacramentorũ Eccleſiæ, diuorum quoq; uenerationis defenſionem, pientiſſimus hic Princeps nihil a proauis ſuis degenerans, ſemper affectus fuerit, indubitato nobis argumento ſæuerior in ſeditioſiſſimos quoſq; Vuicleffitani dogmatis aſſertores per eum hactenus exercita caſtigatio, in quos nec hodie (ubi intra Principatus ſui limites reperti fuerint) ferro, aqua, igni & laqueo animaduertere ceſſat, pro Dei ac diuorũ gloria ac tuitione, cum totius Principatus ſui, tum propriæ uitæ iacturam facere paratus. Hunc igitur Eccleſiæ ſuæ propugnatorem acerrimum, Deus Optimus Maximuſq; in Pilios annos nobis & animo & corpore ſanum cõſeruare, atq; ex nobiliſſima & pudiciſſ. Dña Anna, thori conſorte ſua, Vngarorũ Regum ſanguine nata, mulierũ filiorũ patris ſimilimorũ genitorem facere haud dedignetur, ut fatis olim conceſſurus nepotes ac pronepotes ſuos, cũ orthodoxæ fidei, tum

*Animus Ferdinandi ad lectionem Latinarum hiſtoriarum.*

*Sæuera in Ferdinando animaduerſio.*

*Ferdinandi Regis uxor.*

afflictæ Eccleſiæ fidiſſimos relinquat patronos et defenſores. Poſſemus quocꝫ plæracꝫ alia huius pientiſſimi Principis laudem cumulantia his adnectere, ne tamen uiuenti citra ueritatem ab æmulis incuſemur adulari, manũ e tabula tollendam ſtatuimus, ipſius sereniſſimæ Celſitudini haud parum congratulantes, quod dum hæc ſcriberemus ipſum primogenita prole fœminei ſexus, cui nomen Iſabellæ, ex dilectiſſima cõiuge ſua actum percipientes, indubitata ſpe nobis iam perſuaſerimus hũc poſt hac, Deo auſpice, ex ea numeroſæ maſculæ prolis futurum quocꝫ parentem, cuius uterum hac fœcũdaſſet filiola. Graſſabat̃ ſub idem tempus atrociſſimo in Vngaros bello immaniſs. Chriſtiani nominis hoſtis, Turcarum Imperator, cuius barbaram ſæuitiem sereniſſimus Pannonum & Bohemorũ Rex Ludouicus, Ferdinãdi Principis ſororius ui prohibiturus, ſelectiſſimi Chriſtiani militis exercitu barbaris occurrit, pugna & quidem inauſpicatiſſima illis congreſſus, Vngaris parum fidei, ut fertur, Regi ſuo (authore Tranſyluano quodam Comite) præſtantibus: pars etenim Turcæ congredi detrectãs, pars inter pugnandũ fuga elabentes, Regem ſuum prodiderunt, cui quanquã Bohemi ac Germani milites fortiter aſſiſterent, inchoatã pugnam intrepide continuantes, frequẽtis tamen & copioſi hoſtis ualidas manus diutius ferre nequientes, defatigati tandem

*Naſcitur Ferdinando filia*

*Turci Vngariã inuadunt.*

poſt

poſt longum certamen uitæ ſuæ fuga conſulturi, uictoria Mahumeticæ turbæ arridente, pientiſs. Rex Ludouicus cum undeuiginti Chriſtianorum millibus pro orthodoxæ fidei ac regni ſui defenſione, XXV. die Auguſti, anno uirginei partus M.D. XXVI. oppetiiſſe dicitur. Qua uictoria perfidus hoſtis inſolẽtior redditus, neq; ſexui neq; ætati parcens, Regiam ſedem Budam, cæteras quoq; Panno niæ urbes diripit, igni ac ferro depopulando, Domina Maria Regia coniuge, Principis Ferdinandi ſorore, hoſtiles manus ægre in ſuperiorem Pannoniam ad fratrem euadente. Percepta itaq; Regis ſui morte Bohemi, eueſtigio Principi Ferdinando legatos ſuos mittũt, ſceptrum regni ultro illi offerentes, quod utriuſq; & Pannonici & Bohemici Principatus Regiũ diadema, per Ludouici Regis ſine prole defuncti obitum, ſoli Ferdinando hæreditario deberi cognoſcerẽt, quodq; præter Dominã Annam Ludouici Regis ſororem, ac Ferdinandi Principis thori cõſortem, proximior hæres ſupereſſet nemo. Reddebantur præterea Ferdinando Principi Bohemorũ animi fauentiores, cum ꝙ Auſtriaco ſanguine ortus eſſet, cuius ſtemmatis Duces Albertus & Ladislaus intra præſens ſeculũ dictorum regnorũ ſceptra quoq; geſſiſſent, tum ob præclaras eiuſdem uirtutes, pietatem, iuſtitiam & clementiam, quas in iuuene ſupra q̃ ætas ferret increuiſſe uiderant, qui-

*Ludouicus, Vngariæ rex à Turcis occiditur.*

*Bohemi Ferdinando ſceptra regni offerunt.*

bus proculdubio fore arguebant, ut qualem mater nus eiuſdem auus Catholicus Hiſpaniarum rex, cu ius nomen refert, de Mauris Beticam inhabitantibus, ac Mahumeticæ religioni deditis, olim uictoriam obtinuiſſet, Chriſtoq; nomina dare coegiſſet, parem nec minorē triumphum Ferdinandus Princeps nihil prorſus ab auo degeneraturus, de barbaro hoſte, Vngarici regni deuaſtatore, breui (Deo auſpice) nedum Vngaria, uerum & cæteris terris, iamdudum Chriſtiano orbi Turcarū inſolentia ablatis, omnino recuperatis, eſſet adepturus. In eam nancq; expeditionem debitū ſibi regnum Ferdinandus Rex repetiturus, ſelectiſſimis Chriſtianorū militum copiis poſt adeptā Bohemici regni coronam, congregatis, Vngariam aggreſſus, Vuaiuodam, Tranſyluanum Comitem, Turcarū ope contra ius & fas Vngarico regno incūbentem potenti manu, circiter Dñicæ natiuitatis annū M. D. XXVII. Buda, totoq; fere regno recuperatis, in fugam uertit. A regni primoribus in Regem aſſumptus ac coronatus, quibus cū perpetuo biennio quietiſſime imperaſſet, immaniſſimus Turcarum Imperator, quorundam transfugarum Vngarorum, pręfatiq; Vuaiuodæ inſtinctu, cum exercitu centum & quinquaginta millium armatorū, anno Domini M. D. XXIX. poſt æſtiuum ſolſtitium reuerſus, denuo Vngariam hoſtiliter inuadens, totam fere in deditionem

*Ferdinandus parat expeditionē in Turcas.*

*Ferdinandus Rex Vngariam bello acquiſiuit.*

onem compulit, plæriſq; Vngarorũ ultro ſe illi dedentibus; nunquã etenim (niſi a nonnullis ipſorũ uocatus) id attentaſſet. Ea igitur uictoria inflatior factus, Septembri deinde menſe ad Auſtriæ Archiducatum quoq; occupandũ mentem intendit, qua paſſim deuaſtata, multis utriuſq; ſexus hominibus & crudeliter occiſis, & captiue abductis, inclytã Viennenſium urbem obſidione cinxit, ad quam expugnandam quoties machinas muris applicuiſſet, toties ſelectiſſimi Chriſtiani militis, quem sereniſſimus Rex Ferdinandus ſub barbari hoſtis aduentu illuc in præſidium locauerat, ui & armis repulſus, infecto negotio pedem retrahere cogebat̃, non paucis ex hoſtili exercitu deſyderatis. Quocirca confluentibus iam Ferdinando Regi ex tota fere Germania auxiliaribus copiis, crudeliſſimus Turca grauius ſuis militibus detrimentũ imminere ueritus, ſoluta penitus obſidione Octobri menſe, Conſtatinopolim repedauit. Cuius immanẽ ſæuitiam in Chriſtianum populum per Principum diſcordiam non uno loco tantũ intra paucos annos exercitam, ſummi, cunctipotentiſq; Dei miſericordia tandẽ ductu & auſpitiis, dictorum Ferdinandi Regis, eiuſq; fratris inuictiſſimi & Catholici Cæſaris Caroli quinti maternũ genus, Hiſpanis Regibus ſuopte ingenio Mahumeticæ genti infeſtis, acceptum ferentiũ, breui opprimendã, ac penitus ita delendam ſperamus,

*Turcarũ imperator denuo Vngariam debellat.*

*Vienna Auſtriæ obſidetur à Turca.*

ISabella uero, Leonoræ ſoror, Chriſtiernũ Daciæ Regem ſortita maritum. Anno Dominicæ natiui tatis XXVI. ſupra ſeſquimileſimũ naturę cõceſſit.

MAria, Iſabellæ germana, Ludouicũ Vngariæ ac Bohemiæ Regem nacta eſt cõiugem, a Turca, Pannonas infeſtante, circiter annũ Domini M. D. XXVI. interemptum.

CAtharina iuniorẽ Luſitaniæ Regem thori conſortem adepta eſt.

## CAP. X.

### PERORATIO, SEV OPEris concluſio.

HAbes igitur candide lector hoc noſtro breuiario Regiam ac uetuſtiſſiam Habsburgenſium Principum, atq; recentiorum Auſtriæ Ducum propaginem, a Troiano Rege Priamo, uel (ſi malueris) a Noa, totius humani generis poſt cataclyſmũ reparatore, propagatam ſtrictim cõcluſam, poſt tamen in rapſodiis Auſtriados noſtræ diffuſiori calamo, Deo auſpice, explicandam, qua facile tibi perſuaſeris, illuſtriſſima Auſtriaca domo, cũ uetuſtate, tum ſanguinis claritudine tota Europa inſigniorem haberi nullam. Etſi non inficiamur Brunſuigenſibus, Saxonibus, & Bauaris Ducibus, ueterem & auitam nobilitatẽ, haud parũ gloriæ ac laudis intra ſeptem proximiora ſecula apud Germanos ſibi conciliaſſe.

Victori

Victorioſi nanq; tam Imperatores, q̃ Reges Romano imperio ex his ſtemmatis prodiere. Habsburgicæ uero domus maiores nedum recentioribus ſeculis, & Germanis et Romanis Principes, uerum a Troiano excidio Scythis, Sicambris & Francis, priuſquã Chriſtus mundo illuceſceret, annis ferme mille ac ducentis Reges & Duces ædidiſſe legimus, quorũ etiam ſceptro apud Francos continuato, Romanis potenti manu ex tota Gallia pulſis, Celtas, Belgas, & Aquitanos nõ ſine cœli prouidentia, unde Principem eſſe cõceditur, imperata facere coegerũt. Adde quod eius illuſtriſſimæ gentis Reges & Principes poſtea q̃ luſtralibus undis piati, Chriſto nomina dediſſent, ſubnaſcenti iam orthodoxæ et Chriſtianæ fidei plurimũ & adiumenti & incrementi procurarint, nedum Aethnicos & crucis hoſtes (uitæ ſuæ ob Chriſti gloriam prodigi) trucidando, uerũ etiam magnifica templa & cœnobia in cunctipotentis Dei ac diuorum honorem, largiter donando, erigendo, cui rei teſtimonio ſunt plæraq; Epiſcopia, cœnobia, a Francorũ Regibus cum Merouea, tum Carlingorũ ſtirpe procreatis, extructa, quorum in Auſtriade noſtra planiorem faciemus mentionem. Qua fortitudine animi & pietatis zelo Clodoueus, Carolus, Marcellus, Pipinus, & Carolus a geſtarũ magnitudine cognomen adeptus, orthodoxam fidem & Chriſtianam Remp. & ſtrenue defenderint

Pietas Carlĩngorũ & Meroueorũ principum.

# REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DO. BALTHAZARO HILDESHEIMENSIS & Conſtantienſis Eccleſiarũ Epiſcopo, Sacræ Ceſareæ atq; Catholicæ Maieſtatis per Germanias Vicecancellario &c. Domino ac Mœcenati ſuo in primis colendo Hieronymus Gebuilerus Argentuarienſis Literariæ pubis Haganoienſis moderator S. D.

Genethliacorum prænoſticationes, aliorũ item hominum præſagia (Reuerendiſſime Princeps) aut parui momẽti, aut (ut pleriq; contendunt) penitus uana eſſe cenſeremus. Ni uetuſtiſſimis tã Hebræorum q̃ Aethnicorum exemplis præſagientium aut prænoſticantium uerbis certiſſimos euentus non ſemel reſpondiſſe indubitato comperiſſemus. Hinc eſt quod Iſrael pluriũ filiorum pater, in tanto natorũ grege de Ioſippi uita & incolumitate ſupra modũ ſolicitus fuerit, unũ illum intueri, unũ penes ſe habere, neq; temere pro-

*Iſraelis præſagium de Ioſeph.*

cul

cul ablegare infallibili mentis præſagio (ut credere eſt) fore, ut is omnium unus aliquando maximo ſoret patri deſyderio, qui præſens patrium nõ poſſet explere affectum. Timon inſuper Athenienſis nulli hominum mitis, nulli blandus in occurſu præterquam Alcibiadi puero. Hunc etenim unum in publico excipere, caput demulcere, oſculari, amplecti: rogatuſq; aliquãdo unde illa comitas in ſolum duntaxat Alcibiadem? quia uideo, inquit, fore ut hic adultus ſit patriæ excidio futurus, nec ille ſua eſt coniectura deceptus. Sed quid externis immoramur, cũ nec domeſtica eius rei exempla nobis deſint. Nutritum nanq; in Friderici II. Imperatoris aula Rudolphum Habsburgium adoleſcentem adhuc, Cæſareus Mathematicus nullo non honore ac reuerentia ubicunq; illum habuiſſet obuium affecit, interrogatus aũt a Cæſare, cur id faceret? Quia, respondit, hunc olim Romanorũ Regem fore cognoſco: nec defuit uerbis euẽtus eodẽ Rudolpho Habsburgio Comite a Friderici ſecundi ac prolis ipſius obitu poſt diutinum interregnum Romani imperij faſcibus adornato. Nec quod eius farinę compertiſſimum habemus, ſilentio pretereatur. In reuelationibus nanq; Reinhardi futurũ Imperii ſtatũ ante aliquot ſecula uaticinati, authore Iohanne Claremontano legitur: Exurget Aquila grandis, & Aquicolę mœrebunt, quis poterit reſiſtere, cũ poteſtatem ha

*Timon Athenienſis.*

*Præſagiũ de Comite Rudolpho Habsburgio.*

beat ab excelſo. Tria regna cõportabit, neue plebs clamabit, dormiet (ſubaudito aquila) adhuc annis quinq;, refutata reſurget, cũ Lilio garrire incipiet, & contremiſcere faciet & alios montes ſuperbiſſimos. Expandet alas ſuas ad prædam, ungulas acuet in capturam, roſtrum aperiet ut deuoret ciuitates, & caſtra alarũ ſonitu perturbabit, & erit luctus magnus & acerbus, qualis nõ fuit a diebus antiquis & apertis. In Aquicolis occidentalibus, in terra uirginis uniuerſa Lilia ſedabit, nec ultra deiecta aut uilis poterit appellari, eo quod in circuitu eius uniuerſa Lilia denubabit, & Sol cũ Leone mœrebit, & Gallus fauebit aquilę. Quis huius pręſagij myſteria hac noſtra ætate in ſacratiſſimo ac catholico Cæſare Carolo V. noſtro non uiderit eſſe adimpleta? Hic nimirũ ea grandis aquila eſt, alas ſuas a Gadibus per mille ac quingentas inſulas uſq; ad Siculum fretum longe lateq;, nõ ſine Venetorum aut Florentinorũ aquicolarum luctu potenter extendens. Tria regna Hiſpanicum uidelicet, Italicum & Germanicum nõ ſine cœli prouidentia comportauit, cuius ſanctiſſimis ædictis rebellans ac ſeditionis amans populus iamdudum & in Italia & in Germanijs neue proh dolor, ad rauim uſq; cum clamauit, tum in poſterũ iuſto Dei iudicio (ni reſipiſcat) eiulabit: quot enim millia hominum intra triginta ſex annos Maximiliano & Carolo V. Auſtriacis Archiducibus imperanti

*Vaticiniũ de Aquila ſeu Cæſare Carolo quinto.*

*Quæ ſit aquila grandis.*

*Vaticinij euentus.*

rantibus, gladio, igni ac ſame, tam apud Inſubres, q̃ Ligures, cęteris item Italiæ regionibus mortẽ obi erint, uel lippis ac tonſoribus notũ eſt. Senſit et Germania ſeducti nuper uulgi duriſſimam ſtragem, cuius exemplo utinam ſuperſtites reliquiæ cautiores redditæ, debitũ officiũ Deo, diuis Regibus ac Principibus ſuis exhibere ſatagerent. Refutata nanq; ad multos iã annos in ædictis ſuis Aquila, nemine uel paucis illius mandata curantibus, nunc proculdubio reſurrexit, atq; cũ Lilio, Galliarũ uidelicet Rege Franciſco garrire, & bellare non ſolum incœpit, uerum continuato intrepide bello eundem apud Inſubres circiter Virginei partus annũ M.D.XXV. paruo exercitu inſtructus, plæriſq; Galliarũ clariſſimis militibus occiſis, captum, atq; in Hiſpanias abductum, ad aliquot tempus uinctũ tenuit. Contremiſcere nimirum tunc faciens ſuperbiſſimos montes, Reges ſcilicet, Principes ac Duces, quos cũ illo uictos captiue abduxerat. Adde quod Gallis & Venetis denuo circiter Dñicæ Natiuitatis annum M.D.XXVIII. Cæſarem exercitu LX. millium armatorum Neapoli ac Sicilia pellere tentãtibus, Imperatoriæ copiæ numero pauciſſimæ (ſi hoſtẽ conferas) Auguſto mẽſe glorioſiſſimã quoq; uictoriã, ut ſupra diximus, adepti ſunt, Superis Cæſari militantibus. Quamobrẽ pro dictæ reuelationis Reinhardi tenore, Aquila (Cæſar inquam Carolus) in

Aquila liliũ ſedauit.

aquicolis occidẽtalibus, & in terra uirginis, in agro uidelicet Mediolanẽſi. Lilia, hoc eſt, Lilioꝝ et Francorum Regis (cuius inſigne Lilia ſunt) potentiã ſedauit & imminuit, nõ citra Solis, Papæ ſcilicet, Cardinaliũ, ac totius Eccleſiaſtici ſtatus Romanæ urbis mœrorem. Quis enim neſcit q̃ miſere anno humanæ ſalutis M. D. XXVII. Maio menſe, urbs Roma (neſcio ac inuito Cæſare) a Cæſarianis militibus capta & direpta fuerit, ipſo ſummo Pontifice Clemente VII. duodeuiginti fere menſibus nuſquam comparente, ac Leone cum florentino tum adriatico eius rei gratia haud parum mœrente. Hanc Romanæ urbis calamitatem prophetico quondam ſpiritu præſagiẽs Cyrillus: Aquila (inquit) grandis armata manu Romam intrabit, om̃es Prælatos heu religioſos & ciues capiet, & multos interimet uarijs supplicijs, unde facient abradi coronas ſuas, alij dabunt fugam ad montes & ad ſyluas: quod profecto in hac urbis direptione (quanq̃ ſacratiſſimus Cæſar Carolus id ignoraret) eueniſſe audiuimus de meritis forſan et peccatis hominũ eam pœnam commerentibus. Nec Brigittam ſuum uaticinium (quo Gallũ tandem ſuccubiturũ & pudicum facie ubiq; regnaturum prædixit) fefellit, Franciſco Galliarum Rege præſenti anno Cæſari reconciliato, ſingulaq; & omnia concordiæ capitula pro Cæſaris uoto annuente, quocirca pudicus facie regnabit ubiq;: quẽ alium

Leo mœret.

De Romanæ urbis direptione Cyrilli uaticinium.

Gallus ſuccubuit Aquilæ.

alium precor per hunc facie pudicum accipies præ-ter ſacratiſſimum & Catholicum hunc Cæſarem Carolum, in cuius facie nullius impietatis aut Hæreſeos macula, nullius iniuſtitiæ aut Tyrannidis nota reperiri poteſt, cuius omnis conatus eo tendit ut & orthodoxam fidem, & immaculatam Chriſti ſponſam eccleſiam, cum a ſerpentina hæreticorum, tum a leonina tyrannorum perſecutione tutam & quietam reddat, illicq; deuicto barbaro crucis hoſte tranquillam pacem & unionem reſtituat, cuius res præclare geſtas aut gerendas haud temere tot uetuſtiora & certiſſima prædixere uaticinia, unde & talibus nō ſemper fides abneganda eſt: quemadmodū & hos quos nūc adeptus es honores, Reuerendiſſime Princeps, priuſquā naſcereris, honeſtiſſimis parentibus tuis a mathematico prædictos eſſe fideli teſtimonio accepimus. Genitrici nanq; tuæ infantulum te adhuc in utero geſtanti portaſque oppiduli Vualtkirch in hortulū (comitante illā famula) exeunti Mathematicus ſeu Genethliacus quidam forte obuiam factus, his qui adſtabāt dixit, Geſtat hæc muliercula prolem olim multis ac toti patriæ honori & uſui futuram. Quæ uerba etſi pudiciſſima parens tua ſe (ut uerecunda erat) audiuiſſe tunc diſſimularet, domum tamen reuerſa, parenti tuo ſagaciſſimo homini, tūc prefati oppidi Vualtkirch prætorem agenti, ea retulit, qui fatale illud Eulogiū ani

*Quis ſit ille pudicus facie*

*Vaticiniū de futura excellentia D. Balthazaris, nūc Conſtantienſis Epiſcopi.*

mo diſpiciens, ac te per uirtutis iter honorũ apicem contingere poſſe iudicans, primos pueritiæ tuæ annos literis mancipauit: quibus, ut præclara indole ſemper eras, adeo per omẽs ætates profeciſti, ut uirtutum tuarum præconio nedum Maximiliani Cæſaris, ſed etiam Caroli V. Imperatoris & Conſiliarius, & Vicecancellarius per Germanias eligi meritus ſis: tandem Hildesheimenſis & Conſtantienſis Eccleſiarum Epiſcopus factus, quorum Præſulatuũ conſecrationis munus hactenus dilatum, a Reuerendiſſimo ac Illuſtriſs. Principe ac Domino, Dn. Alberto, Archiflamine Moguntino, totius Germaniæ Primate, ſacratiſſimi ac Catholici Cæſaris iuſſu nuper tertia die Iulii, anno Domini M. D. XXX. quæ erat dies Dominica, in Cathedrali templo Auguſtæ, Apoſtolicæ Sedis Legato, cæteris item compluribus Principibus aſtantibus, humilime ſuſcepiſti. Quamobrẽ Reuerendiſs. Dominationi tuæ aliquo munere congratulaturi (cum neq; aurum neq; argentum habeamus) e chartacea ſupellectili noſtra Commentarios, Regium atq; illuſtre Sereniſſimi Principis ac Domini, D. Philippi, Caſtellæ, Legionis, & Granatæ quondam Regis, Archiducis Auſtriæ, maternum genus continentes, nunc primum a nobis, pro inuictiſs. Cęſaris, & Ferdinandi Regis gloria æditos, ac prelo excriptos, tibi dedicamus, tuæq; Reuerendiſs. magnificentiæ eoſdem congra

tulatorii muneris loco mittimus: precantes, ut his cum aliis adnexis, ubi ab aulicis negociis feriatus fueris, pellectis, ſi placuerint, ſacratiſſimo & inuictiſs. Cæſari, ita noſtrum laborem commendare digneris, ut te Mœcenate, cum Cæſareæ, tum Regiæ Bohemicæ maieſtatis gratiam & fauorẽ percipientes, Auſtriadi noſtræ ſupremã tandem manum auſpicatius imponere queamus. Valeat interea perbelle Reuerendiſs. excellentia tua, fatali dignitate ac Magiſtratu in Pylios annos pro decoro perfungens, noſq; rationario clientulorũ ſuorum inſcriptos habere haud dedignetur, qui ad illius obſequia omnẽ operam noſtram uiciſſim exhibemus paratiſſimã. Datum ex Muſeolo noſtro Haganoæ, Anno Domini M. D. XXX. die uero XXI. menſis Iulii.

## HIERONYMVS GEBVILERVS Lectori S. D.

NE utriuſq; parẽtis Sereniſſimi Principis ac Domini, D. Philippi, Caſtellæ, Legionis, & Granatæ quondam Regis, Auſtriæ Archiducis &c. ueruſta & Regia nobilitas, candide Lector, quenq̃ lateret, hos quoq; cõmentarios materni generis eiuſdem Regios & illuſtres progenitores in recta linea aſcendendo, ad annos fere quingentos complectentes ædidimus, in quibus & Hugonis Capeti (quẽ expulſis Carolingis, primum Celtarum ſeu Franco

rum Regem natione Gallum fuiſſe conſtat) poſteritatem & nepotes numeratos reperies. Deſinat igitur Gallia ſacratiſſimo & Catholico Cæſari noſtro, eiuſq; fratri eſſe odioſa, uerum ſummo amore officiiſq; reuereatur, cuius progenitores uel paterno uel materno ſtemmate tot ſeculis habuit Reges: quod qui apertius diſcere uoluerit, tabulas ſeu chartas, ſuper his genealogiis a nobis æditas, diligentius pellegat. Non etenim om̃es uerboſa lectio, uerum compendioſior imaginum magis nonnunq̃ iuuat aſpectus. Vale.

HIERONYMI GEBVILERI ad Lectorem Tetraſtichon carmen.

Duxerit Auſtriaci genitrix genus unde Philippi
Diſcito & illuſtres illius hic atauos.
Quattuor hi Celtis dominati ſecula Gallis
Præclaros Heduis poſt genuere duces.

## CAP. I.



HVgo, cognom̃eto Capetus, primus Celtarum ſeu Francorum Rex, natione Gallus, ex Pariſienſium Comitũ familia ortus, patrem habuit Hugonẽ Magnum, Roberti, qui Eudoni ſeu Odoni q̃ndam Francorum Regis frater extitit, filium,

Eudo ſeu Odo, Francorũ Rex.

filium, matrē uero Haygundim, ſororem Ottonis, primi Romanorum Imperatoris, auum autem Robertum, cognomento Fortem, Marchionem ac Comitē Andegauenſem, ex Saxona gente, Sigiberto teſte, genitū. Hic circiter Dominicæ natiuitatis annum DCCCC.XC. a Lotharii Caroli Simplicis filii, conſobrini ſui, ac filii eiuſdem Ludouici, Francorum Regum, morte, ui armorumq; potentia Carolo Lotharingenſiū Duce, fraternum Celticæ Galliæ regnum affectante, in uincula coniecto uſurpauit, iactās ad eam rem ſe a diuis Vualerico & Richerio per quietem fuiſſe admonitū, propterea quod eorum corpora, dum ad priora monaſteria poſtliminio transferebantur, plurimo cultu honoraſſet. Addebat ad miraculum legitimam generis ſucceſſionem. Ab Odone enim Andegauo, quem Franca nobilitas propter Caroli Simplicis ignauiā regno ſuffecerat, originem ducere gloriabatur, eumq; patruum appellabat. Hunc Hugonē anno Dominicæ natiuitatis DCCCC.LXXXVII. Remis in Regem Francorum Sigibertus teſtatur fuiſſe inunctū, quanquā Regio diademate ſit uſus nunquā, Roberto filio ipſius regni adminiſtratione a uiuo patre commiſſa. Conceſſit fatis Hugo uirginei partus anno DCCCC.XCVIII. imperāte Ottone tertio. *Hugo Capetus Francorū Rex obit.*

## CAP. II.

ROBERTVS, Francię Rex, Hugonis Capeti ex Edu

S

ardi Anglorum Regis filia natus, bonarũ literarum ac Pontificalis ſcientię peritiſſimus fuiſſe legitur, un de plæraq; diuinorum officiorum cantica lectu nõ iniucunda cõſcripſit, inter quæ proſa, quã Sequentiam uocant, Sancti ſpiritus aſſit nobis gratia, non parum laudis homini conciliat. Fuit & author Reſponſorii, quod in Dominicæ natiuitatis uigilia in ueſpertinis precibus decantari ſolet, cuius initium eſt, Iudæa & Hieruſalem. Aedidit & Antiphonam incipientem, Cornelius Centurio, quam ad diui Apoſtoli Petri aram tabulæ inſcriptã, dum Romæ eſſet, pridie feſtiuitatis Apoſtoli obtulit. Hũc Conſtantia prior ipſius uxor ſcribundis huiuſmodi canticis intentiorem uidens, per iocum, ut Sigibertus refert, ab eo petiit, ut de ipſa quoq; nonnihil cantus ædere dignaretur. Cui morem geſturus, eueſtigio in diuorum Martyrum Dionyſii & ſociorum eiuſdem honorem Reſponſorium quod incipit, O conſtantia martyrũ, compoſuit. Cuius generoſum animum eximia liberalitas, & in extruendis ſacris ædibus magnificentia clariſſime indicabant. Moritur tandem quarto & uigeſimo regni ſui anno, qui fuit Chriſtianæ gratiæ XXX. ſupra M.

*Roberti Frãcorum Regis præclarũ ac pium ingenium.*

CAP. III.

HEnricus, Francorum Rex, patri Roberto in regno ſucceſſit, etſi mater Conſtantia illi plurimum aduerſaretur, intendens fratrem Henrici, Robertum

bertum nomine, Regio ſolio intrudere. Conflato igitur bello, Roberti uiribus, et aduerſæ factioni impar Henricus, confugit ad Ducem Normannum, cuius auxilio ſua recepit. Deniq; regno, quod tanto armorum ſtrepitu uendicarat, ultro uiuens Philippo filio ceſſit. Anno ſalutis M. LX. mortuus, illatuſq; Regum conditoriis ad ædem Dionyſii.

## CAP. IIII.

PHilippus, Henrici præfati, & Annæ Georgii Ruſſionum Regis natæ filius, accepto a patre regno, Bertham Balduini Comitis Hollandiæ filiam matrimonio ſibi iunxit, ex qua liberos Ludouicũ & Conſtantiam genuit, eaq; uiuente dimiſſa, Bertrandam duxit, ob id ab Vrbano ſecũdo Pontifice Maximo, ſententia piorum hominũ, cõmunione priuatus. Protulit & is regni fines, adiectis Bituricenſibus, emptis ab Arpino Duce eorum, qui cum Godefrido Bullonio ſocius expeditionis in auxiliũ terræ, quam ſanctam uocãt, iturus, ad uſus belli neceſſarios pecunia careret, ipſi Philippo Regi Ducatum uendidit. Itaq; ditionis acceſſione facta, Philippus in Principatus conſortiũ accepit ex ſe Ludouicum natum, qui patri ſucceſſit. Anno ſalutis M. XCVI. Melduni uita functo, conditoq; ad ædem diui Benedicti Ligerenſem.

## CAP. V.

LVdouicus, Philippi filius, Rex Francorum, in

Anglos & Henricum quartum Imperatorem multa proſpere geſſit. Hic primus pernitioſiſſimo bello inſtante, oſſa diui Dionyſii ac ſociorũ eiuſdem, ad id tempus intacta e munitiſſimo loco, quo aſſeruari ſolent, exportatis feretris, atq; in ſummum altare locatis, uiſenda, uenerandaq; his qui aderãt, proceribus & populo præbuit, uictorq; ex acie reuerſus, eadem ſuppoſitis humeris maxima cum ueneratione in loculos ſuos retulit. Aſcito in cõſortium Principatus Ludouico filio, qui Iunior appellatus, & oleo tinctus, inſigne Regii capitis permiſſu patris accepit, & paulo poſt adminiſtrationem, cum pater morbo langueret, ex quo deceſſit maior ſexagenario, quum iam circiter XXX. annos Celtarum ſceptra geſtaſſet. Agens animã, deponi ſe iuſſit humi in tapeto ſtrato, in q̊ deſignata crux erat ex cinere. Sepultus et ipſe fuit ad ædem diui Dionyſii, circiter humanæ ſalutis annum M. C. XXXVII.

*Quis Francorum Regum primus diuorum corpora Dionyſij ac ſociorum in bello protulerit uenerãda.*

## CAP. VI.

LVdouicus, cognomento Iunior, Francorũ Rex iam dicti Ludouici Groſſi filius, Aliſam Bleſenſi Comite natam, tertiam ſibi iunxit uxorẽ, ex qua exacta fere ætate, multis precibus fatigato Deo, Philippum ſuſtulit, eum cui inde cognomentum fuit, Adeodatus. Quem pater ægre puberem, quũ bis ſeptenos impleret annos, ad regium decus euexit, oleoq; tingendum curauit, & ornari diademate primum Re

*Philippus cur Adeodatus dicatur.*

mum Re

mum Remis, iterum Pariſiis apud Lutetiam. Expeditionem præterea hic Ludouicus cum Cunrado Imperatore tertio paribus auſpitiis in terram ſanctam ſuſcepit. Obita demũ die circiter uirginei partus annũ M. C. LXXIX. ſepultus eſt in æde cœnobii de Bardello, quod ipſe uiuẽs extruxerat, qua tempeſtate Fridericus Cæſar, cognomento Barbaroſſa, Romano potiebatur imperio. Cunradus III. imperator.

## CAP. VII.

PHilippus Adeodatus, acceptis a patre Regiis inſignibus, adhuc adoleſcens omnibus exemplis uſus eſt in Iudæos iuditio conuictos, Chriſtianum puerum quotannis mactare ſolitos. Vnde a patris ſui obitu omnes & ſingulos Verpos regni ſui finibus eiecit. In Anglos & eos, qui manus Eccleſiis inferebant, egregie multa geſſit. Hic matrimonio ſibi iunxit Iſabellã, Balduini Comitis Hannonię filiam, ex qua Ludouicũ ſuſcepit, qui ei in regno ſucceſſit, cui & Blancam ex Rege natam Caſtellæ deſpondit. Spiritũ exhalans anno Domini M. CC. XXIIII. atq; in Dionyſiano templo ſepultus.

## CAP. VIII.

LVdouicus, eius nominis octauus, Francorum Rex, Adeodati filius, materno genere in Caroli Magni regnum ius habere prætendebat. Etem̃ Carolus Ludouici IIII. filius is, quem ab Hugone Capeto regno pulſum demonſtrauimus, genuit Eme

gardam, qua matre, Balduinus eſt æditus, Hannoniæ Comes, & Iſabellæ pater, eius quæ Philippo Adeodato hunc Ludouicum pepererat, qui domitos Auenionenſes, ab Hæreticorũ laqueis, in quos inciderant, eripuit. Hic per omnẽ uitam continens, nullius ꝙ propriæ coniugis Blanchæ cõcubitu uſus eſt, ex qua quatuor filiorum, Ludouici, Roberti, Caroli & Alphonſi pater factus, ſubita ui morbi correptus, obiit pridie Idus Nouembris.

## CAP. IX.

LVdouicus, nonus Francorum Rex, præfati Ludouici Regis Celtarũ natu maximus, paternum decus accepit annũ agens duodecimũ, deinde adultior factus, uxorẽ duxit Margaritham, filiam Comitis prouintiæ quæ Narbonenſis Gallia nũcupatur, Bracata prius dicta. Erexit hic Ludouicus in Pariſiorum Lutetia ſacellum, quod Sanctũ uocant, ibiqꝫ lanceam, ſpongiamqꝫ Dominicæ paſſionis inſtrumenta, quæ Balduini, Conſtantinopolitani Regis aſſenſu obtinuerat, ornatiſſime collocauit. Inſtitutis etiam ibidem ad Dei cultum miniſtris. Voti deinde reus, ob ægritudinem qua laborabat, ad Medicorum deſperationem ſuſcepti, profecturus in terram ſanctam, regni curam Blanchæ matri, Alphonſoqꝫ germano commiſit. Inde trans mare Aſiam petiit, captaqꝫ Damiata Aegypti urbe, non pauca incõmoda in ea expeditione paſſus, cum Carolo tandem fra

*Quæ Gallia dicatur Bracata.*

*Diuus Ludouicus Regiũ Sacellum Pariſij inſtituit.*

dem fratre in Saladini poteſtatem uenit, a quo pacti certum auri pondus poſtliminio dimiſſi, in Galliã reuerterunt. Vbi Ludouicus plura condidit cœnobia & aſyla, miſericordiæ conſecrata, quæ etiã nunc extant. Authore demũ Pontifice, Salutis Anno M. CC. LXIX. claſſem duxit in Aphricam, ſtipatus tribus filiis Saracenorum uictor, apud urbem moritur, cui nomen Thunæ. De cuius obitu ſequentes extant uerſiculi.

Anno milleno, bis centum, ſeptuageno,
Thunis Catholicus deceſſit Rex Ludouicus.

## CAP. X.

PHilippus, Francorũ Rex, diui Regis Ludouici filius, a patris obitu Remis pro more, inungitur ac coronatur. Cui Iſabella, Iacobi Arragonũ Regis filia nupſit, trium ex eo filiorum, Ludouici, Philippiq́ʒ, & Caroli parens facta, qua e uiuis ſublata, Philippus Rex alteram duxit uxorem, Borbonii Ducis filiam. In Petrum deinde Arragonum Regem exercitum educens, occupatam ab eo Siciliam, quæ conceſſerat in eius patrui ius, quem Carolum primum fuiſſe diximus, belli cauſſam prætexuit. Tandem febre correptus, fatis cõceſſit, cuius execta præcordia Narbonæ condita ſunt, corpore ipſius Gentilitio Francorum Regum conditorio in Dionyſiana æde circiter humanę ſalutis annũ M. CC. LXXXV. illato. Huic ex Iſabella Philippus, cognomento Pul-

cher, & Carolus, Valleſiæ Comes. Ex Maria uero, Ludouicus Comes Ebroicẽſis, Margaritha & Blancha filiæ fuerunt ſuperſtites.

## CAP. XI.



CArolus, dicti Philippi Francorũ Regis filius, ac Philippi Pulchri Francorum Regis frater, Comes Valleſię, non pauca bella Regio nomine feliciter geſſit. Hic a Philippi Pulchri fratris ſui morte, Enguerranũ Regiæ gazæ furti conuictum, in ſupremo Pariſienſis patibuli tigno ſtrangulari, annuente Ludouico Hutino Rege, præcepit. Vigilantius quoq; ſub Philippo Longo, & Carolo Pulchro Francorum Regibus, Celtarũ Regiæ pro uirili ſemper inſeruiuit, tandem mortuus Anno Domini. relicto Philippo, Valleſio Comite, hærede.

## CAP. XII.

PHilippus Valleſius, præfati Caroli Valleſii Comitis filius, Francorum regno circiter Dominicæ Natiuitatis annum M.CCC.XXVII. potitur, in Eduardum Angliæ Regem, ac Celtarũ regni competitorem, exercitum nõ ſine obtenta uictoria

educens

educens, cuius induſtria & impenſis Delphinatus Francorum regno acceſſit. Demum anno Virginei partus M.CCC.L. hominem exiens, ad ædem Dionyſii conditur. Delphinatus Francorũ regno acceſſit.

## CAP. XIII.

IOhannes, Francorum Rex, dicti Philippi Regis, cognomẽto Valleſii, filius, a patris interitu regnũ adeptus eſt, qui dum parum proſpere cum Richardi Anglorum Rege Eduardo filio manum cõſerit, uiuus in hoſtium poteſtatem uenit, & cum eo equites multi, quibus cũ Burdegalã deductus, acceptis conditionibus, & promiſſa grandi pecunia, quarto poſt anno dimiſſus eſt. Hũc circiter Dominicæ Natiuitatis annum M.CCC.LXIII. debitum carnis ſoluiſſe aiunt.

## CAP. XIIII.



PHilippus, cognomẽto Audax, Iohãnis Francorum Regis filius, primũ Comes Turonenſis fuit, a Carolo Sapiente Francorum Rege, germano ſuo, Ducatu Burgundiæ circiter Dominicæ Natiuitatis annũ M.CCC.LXIIII. donatus, deinde Margari

tham Flandriæ Comitis unicam filiam uxorē anno Domini M.CCC.LXIX. ducēs, poſt ſoceri mortem eodem Comitatu potitur. Mortuus circiter humanæ ſalutis annum M.CCCC.

## CAP. XV.

IOhannes, primum Comes Niuernienſis, præfati Philippi Audacis filius, a patris obitu Burgundię Ducatū hæreditario adipiſcitur. Hic ſuperſtite adhuc parēte, circiter annū gratię M. CCC.XCVI. Francigenarum copias Sigiſmundo Vngariæ Regi contra Turcas inauſpicato adducens, Vngaris a Turca fugatis, multiſq; Chriſtianorum, per Principum diſcordiam ea pugna deſyderatis, cum aliquot nobilibus ab hoſte captus, CC. aureorū millibus poſtea redimitur. Inter quem & Ludouicū Ducem Aurelianenſiū exortis ſimultatibus accidit, ut Ludouicus Aurelianus noctu domū repetens obtruncaretur, Anno Domini M.CCCC. VII. Iohanne Burgundo haud parum ſuper eius cædis procuratiōe ſuſpecto. Vnde poſt aliquot tempus in Principum regni Franciæ conuentu Monſteriodi celebrato, Iohannes Burgūdus circiter Dominicæ Natiuitatis annum M. CCCC. XIX. necatur.

## CAP. XVI.

PHilippus, præfati Iohannis filius, Burgundiæ Dux, trucidato parente ſuo, Pariſii tunc forte

agens:

agens, Anglorũ Regi ſe coniunxit, Carolumq́ Regem cum Regina, et Catharina filia, quos in poteſtate ſua pater ipſius uiuens habuerat, Henrico Anglo tradit, Pariſios quoq́, Briam, Campaniam, & Burgundiam adiungit. Demum ſenio tabeſcens, e uita migrauit Brugis, Iunio menſe, Anno Virginei partus M.CCCC.LXVII. Diuione ſepultus. Princeps dum uiueret, armis & pace clarus, atq́ a ſubditis plurimum dilectus.

## CAP. XVII.

CArolus, Burgundię Dux, Philippi filius, Princeps cum iuſtus, tum bellicoſiſſimus, uiuente adhuc patre in Ludouicum XI. Galliarum Regem exercitum ducens, captis iam minimo negotio multis oppidis, Pariſienſes quoq́ infeſtauit. Deinde a patris obitu Leodienſes, Antiſtiti ſuo rebellantes, grauiſſime afflixit. Nuſſiam quoq́ ciuitatem Colonienſis Dioceſeos, per totum fere annum obſedit. Perceptaq́ Nicolai Lotharingiæ ac Calabriæ Ducis morte, Lotharingiam, capto Nanſeo, armis ſibi ſubiugare tentauit, cauſſam aſſumens, quod Nicolaus defunctus illi foret obæratus. Hinc in Heluetios arma mouit, ubi ter uictus, apud Moracũ, quod alii Murtam uocant, maximã ſuorũ ſtragem paſſus eſt. Sed ut uindictæ appetens erat, in Renatum Lotharingiæ Ducem, Heluetiis tunc confœderatum, qui Nanſeum nuper armis recuperauerat, denuo

arma ſumens, in obſidione Nanſei anno Virginei partus M. CCCC. LXXVII. in profeſto Theophaniæ oppetiit, poſtridie in diui Georgii templū illatus. Cui ſuperſtes fuit unica dūtaxat filia, totius Ducatus Burgundiæ hæres.

## CAP. XVIII.



MAria, Caroli Burgundionū Ducis filia, omniū paternorum Principatuū hæres unica, Maximiliano Archiduci Auſtrię, Friderici III. Romanorū Imperatoris filio, uiuente adhuc patre, circiter Dominicæ Natiuitatis annū M. CCCC. LXXIIII. deſponſata poſt patris mortem, cum eodem ad ſe in Flandriam uocato, nuptias celebrauit. Quocirca cū eadem dotis nomine Burgūdiam, Brabantiā, Flandriam, Limpurgum, Lutzenburgū, Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, Artheſium & Geldriam, cum nōnullis aliis terris accepit, quāuis Ludouicus Francorū Rex XI. nonnulla, quæ ſocer poſſederat, ademerit. Ea propter grauia inter Maximilianū & Gallū Regem bella ſuborta ſunt, iam multis annis continuata. Trium deinde liberorū, Philippi, Margarithæ ac Franciſci, præfata Maria parens ex Maximiliano Archiduce facta, inter uenandum equo excuſſa,

cuſſa,

cuſſa, undecim diebus ex eo caſu languida decumbens, tandem xxij. die menſis Martii, Anno Domini M.CCCC.LXXXII. ſpiritum exhalauit. Inuidebat nimirum nouercans fortuna Maximiliano tam felix, fauſtumq; connubiũ, quo proculdubio innumera fuiſſet prole auctus. Superſtites fuere matri Philippus & Margaritha. Margaritha bimula Carolo VIII. Francorum Regi deſponſatur, ab eo tamē pubes facta, citra cauſſam repudiata, Allobrogum Ducem maritum ſortita eſt, quo defuncto, in hāc uſq; diem cœlebs uixit.



## CAP. XIX.

PHilippus, Maximiliani Cęſaris ex pręfata Maria Caroli Burgundionũ Ducis filia natus, Caſtellæ, Legionis, & Granatæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundię, nihil a paternis & auitis moribus degenerans, nullius non uirtutis de ſe ſperādæ dedit inditiũ, ueluti quintus Auſtri

adis noſtræ liber plenius indicat. Vxorem duxit Iohannam, Ferdinandi V. Hiſpaniarum Regis filiam ſecundo genitam, quam parentes cum uiro ſucceſſioni deſignauere, quod uirili prole carerent. E qua intra paucos annos præter quatuor puellas Regibus deſponſatas, duo maxima Chriſtiani orbis lumina, Carolum V. Romanorũ Imperatorem, ſemper Auguſtum &c. ac Ferdinandum, Bohemiæ ac Vngariæ Regem &c. ſuſcepit. E uiuis immatura morte, fatis neſcio quibus, prior genitore Maximiliano Cęſare, Anno Domini M. D. VII. ſublatus. De quo, eiuſq; illuſtriſſima prole uberiorem ſupra tertio libro mentionem fecimus.

SEQVITVR BREVIARIVM, ortus & interitus illuſtrium Zeringiæ domus Principum.

HIERONYMVS GEBVILErus Lectori ſalutem.

QVia in ſecundo Epitomatis noſtri libro, candide Lector, Zeringios Duces ex Habsburgiis Comitibus originem duxiſſe indicauimus, breuiariũ ortus & interitus eorundem, ante duo deuiginti menſes a nobis æditum, huc quoq; inſerere haud abſurdum duximus.

Reueren

# REVERENDISSIMO DOMINO, D. BALTHAZARO A VVALTKIRCH, MELLItenſis & Hildesheimenſis Eccleſiarū Epiſcopo &c. Præpoſito in Vualtkirch etc. Sacræ Cęſareæ atq; Catholicæ maieſtatis per Imperium Vicecancellario, Commiſſario et Oratori clariſſimo, Domino ac Mœcenati ſuo, Hieronymus Gebuilerus S. D.

QVANQVAM OMNE ſolum forti patria ſit, Reuerendiſs. Præſul, patriæ tamē dulcedine adeo cunctos affici ſentimus, ut qui genitalis terrę ſuæ illuſtrationem, gloriam & honorem non ſummopere deſyderent, pauci reperiant. Quocirca Reuerēdiſſimæ magnificentię tuæ gratificari ſperantes, oppiduli ac cœnobii Vualtkirch, natalis ſoli tui, ab Habsburgiis Comitibus olim conditi, ueram originem una cum Zeringenſiū Ducum ſtemmatis exortu & interitu, hactenus uel nullis, uel paucis notos, e uetuſtiorum Bibliothecarū penetralibus in commenta-

riolum (uti nobis Argentorati præceperas) race/
mauimus, nihil ficti, aut cuius certũ authorem non
haberemus, inſerẽdo. Quas lucubrationes noſtras
Reuerendiſs. Dominationi tuæ dicatas, ſub illiusq;
tutamine prelo commiſſas, grato animo ſuſcipiens.
Hieronymo tuo cum apud Cæſaream Maieſtatem,
tum apud sereniſſimum Principem & Dominum,
D. Ferdinandũ, Bohemiæ ac Vngariæ Regem &c.
patrocinari digneris. Datũ tumultuario Haganoę,
Anno humanæ ſalutis M. D. XXIX. Die uero
XIIII. menſis Martii.



CIrciter Dominicæ natiuitatis annũ octuageſimum fere ſupra nouies centeſimũ, Ottone II. Saxonũ Duce, ac Romano Imperatore, uita functo, dominabant̃ in Germaniæ finibus inter Rhenum & Herciniã ſyluam in Breuconis Augia, quã Briſgoiã uulgo nuncupãt, tres germani fratres Comites ab Habsburg, Luthardi Comitis ab Habsburg & Altenburg filii, Betzo uidelicet, Berthilo, & Gebizo. Inter hos Betzo arces, Altenburg & Scharpffenſteyn, propius cœnobiũ diui Trutperti

ſitas

ſitas, poſſedit. Gebizo uero & Berthilo in mõtanis Eltzæ torrenti uicinioribus caſtra incolebant. Viſuntur adhuc hodie reliquiæ arcis, quam a Gebizone Gitzenburg accolæ uocãt. Zelo itaq; diuini cultus plantandi, pręfati tres Comites tria cœnobia largiter dotata, Betzo Sultzberg, Gebizo cœnobium Albæ Augiæ prope Rauensburgum. Berthilo uero ad Eltzæ torrentis ripas inter nemora monaſterium Vualtkirch, in diuæ Margarethæ honorẽ pro ingenuis Veſtalibus extruxit, cui & id nominis, q; ſyluis denſiſſimis undiquaq; cingeretur, indidit. Nam Germani natiua lingua ſyluã Vualt interpretantur, quocirca Vualtkirch ſyluanam ædem Latine ſonat. Quanquã non deſint, qui a diua Vualpurge, cuius reliquias priuſquã ad Eyſtetenſem Eccleſiã transferrerentur, ad tempus illic conditas fuiſſe dicant, unde Vualtkirch, quaſi Vualtpurgis kirch, quod Romano ſermone Vualtpurgis templum uocamus, dictũ aſſerant. Erat ſub idem tempus Breuconis Augia, ſeu Briſgoia, haud undiquaq; ut nũc cernitur, culta, nec tot colonis frequẽtata, nullis uel paucis oppidis aut caſtellis munita. Verũ poſt erectas hincinde arces et cœnobia, auctis indies cultoribus, cum pagis populoſioribus, tum caſtellis oppidisq; ſua data ſunt initia. Inter quę oppidulũ Vualtkirch, a dicto clauſtro cum originem, tum nomen ſumpſit, quemadmodũ & Sultzberg caſtellum ſuo

Gebizo, Berthilo, Betzo, Comites ab Habsburg.

Sultzberg, Vualtkirch, cœnobia extruuntur.

Corpus S. Vualpurgis quieuit in Vualtkirch.

quocꝫ adiacenti monaſteriolo cognomine factum eſt. Sed de his in Breuconis Augiæ illuſtrationis libello plura dicturi, ſuper Zeringenſiũ Ducum origine & occaſu, hoc loci dũtaxat diſſeremus, quos ex præfatis Gebizone & Berthilone Comitibus ab Habsburg genitos eſſe conſtat. Gebizo nancꝫ Bertoldum primum Comitem ſeu Ducem Zeringenſem una cum filiola hæredes reliquit, cum prænominatis fratribus ſuis Berthilone ac Betzone poſt mortem in cœnobio Sultzberg ſepultus. Iam Bertholdus primus Dux a Zeringen, ubi ex ephœbis exceſſerat, diuitiis ac potentia clarus, uxorem duxit Richuaram nomine, Marchioniſſam Carinthiæ, in qua & locus, cui Zeringen nomen eſt, ſituatur, ad cuius inſtar præfatus Bertholdus arcem in Breuconis Augia ſororii ſui Comitis a Kiburg aſſenſu conſtructam, Zeringen quocꝫ nuncupauit, a qua relicto maiorum ſuorum Comitum Auendi caſtri ſeu Habsburg gentilitio cognomēto ſeſe deinceps Ducem ac Dominum a Zeringen appellauit, cuius ſororem. N. Comes a Kiburg, qui caſtrũ Kiburgenſe e regione arcis Friburgenſis una cum circumiacenti dominio poſſidebat, coniugem habuit, unde ab eodem dictus Bertholdus aream pro Zeringenſi arce conſtruenda facilius impetrauit, qua extructa mox inſidiis circumuentũ ſororium ſuum, moto in eum bello cũ arce Kiburgenſi, tum toto dominio expulſum

*Duces Zeringij ex Comitibus Habsburgijs naſcũtur*

*Bertholdus primus Dux à Zeringen.*

*Richuara, uxor primi Bertholdi.*

*Comes à Kyburg Briſgoiam partim poſſedit.*

ſum

ſum, ad Heluetios migrare compulit, ubi & poſtea Kiburgenſes Comites ſtemma ſuum uſq; ad Rudolphi Habsburgii Comitis, & Romanorũ Regis ætatem continuarũt, haud igitur temere dicti Comitis a Kiburg uxor fraternum dolum præſagiens, marito dixiſſe fertur, Frater meus petit abs te aream pro uenationis prætorio in tuo fundo condendo, uereor ne ex eadem domo, ubi extructa fuerit, nos aliquando noſtra arce ſpoliet. Quocirca Kiburgenſi Comite fugato, cũ Bertholdus tum poſteritas eius lõge lateq; in Briſgoia & Hercynio iugo dominari cœperunt. Hunc Bertholdum abſq; liberis obiiſſe, atq; in diui Aurelii templo in monaſterio Hirſaugienſi ſepultum ferunt. A cuius morte relicta ipſius dominia uni Bertholdo ſecundo Berthilonis præfati Comitis ab Habsburg filio, hæreditario cum Ducali Zeringenſi titulo ceſſerunt. Erat nanq; is Bertholdo primo frater patruelis, & ob id proximior heres, uir magna prudentia, fortitudine & audatia, in agendis rebus conſtans & ſtrenuus. Quicquid etenim gerendarũ rerum propoſuerat, id maturius perfici curabat. Sedulus Chriſtianæ pietatis amator, unde diui quoq; Petri cœnobium in Hercynio nemore circiter annũ Dñi M. XC. III. dicitur erexiſſe, in quo poſt fata etiã ſepultus eſt. Cuius frater Hermannus Marchio a Zeringen cognominatus, delitias mundi pertæſus, in Cluniacenſi cœnobio

*Præſagiũ ſororis Bertholdi.*

*Bertholdus I ſine liberis moritur.*

*Bertholdus II. Berthilonis Comitis ab Habsburg filius.*

*Cœnobiũ diui Petri in Hercynio nemore cõſtruitur.*

Gebhardus, Conſtantienſis epiſcopus fuit Bertholdi II. frater.

monaſticæ ſtuduit. Mortuus circiter annũ Domini M. LXXVI. Quo tẽpore diuus quoq; Gebhardus, dicti Hermanni frater, Conſtantienſi Eccleſiæ Antiſtes præfuit. Bertholdũ igitur III. prædictus Dux Bertholdus II. ex ſe reliquit hæredem, qui a genitoris ſui prudẽtiſſimi magnanimitate ac magnificentia degenerans nihil, ſub Henrico Romano Rege IIII. uiguit celeberrimus, unde Rudolphus dux Sueuiæ, & Comes a Rheynfelden, quem Habsburgia quoq; familia ortum aſſerunt, contra dictũ Henricum IIII. Romani Pontificis Gregorii VII. iuſſu Germanorũ Principum calculis fere omnibus Imperii diademate inſignitus, quam unicam habuerat filiam, iam nominato Bertholdo Zeringio III. uxorem, Ducatumq; Sueuiæ dotis nomine circiter annum Domini M. LXXVII. tradidit. Vnde qui prius Comites ſeu Domini Zeringenſes dicti fuerant, ea occaſione Ducatus cognomentum adepti ſunt, niſi uano (ut Otto Friſingenſis teſtatur) Carentani Ducatus, quem nunq̃ poſſederunt, nomine inaniter ante hac ſibimetipſis applauſerint. Percipiens igitur præfatus Henricus Imperator IIII. dictum Rudolphũ contra ſe electum, non potuit non iraſci. Vnde accito confeſtim ad ſe Friderico Comite ab alta Stouffen, uiro bellis exercitatiſſimo, qui & plurimũ fidelitatis imperio præſtiterat, his eum uerbis cõpellans: Vides, inquit, quãta undiquaq; rebellio

Rudolphus Dux Sueuiæ, & Comes à Rheinfelden Romanorum Rex electus.

Bertholdus III. Dux Zeringius obtinet Ducatum Sueuiæ.

Henricus IIII Cæſar donat Sueuiæ Ducatũ Friderico Comiti ab Alta Stouffen, genero ſuo.

rebellio ſit per Romanũ imperium, neq; pauci offi-cium ſuum exequantur, immo nonnulli contra ius & fas Imperiales faſces mihi abrogare conant. Aſ-ſurge igitur, & huic tam peſſimo morbo, atq; ad debellandos Imperii hoſtes accingere, neq; enim priorum meritorum tuorũ immemor exiſto, neq; futurorum ingratus ero. Filiam quippe Agnetem, quam unicam habeo, tibi matrimonio copulabo, Ducatumq; Sueuiæ, quem Bertholdus Zeringius inuaſit, tibi in dotem cõcedam. Sic itaq; Fridericus Comes ab Alta Stouffen ſimul Sueuorum Dux, & gener Imperatoris circiter annũ Dñi M.LXXVII. factus, ſoceri ſui partes haud ſegniter contra Rudolphum electũ Regem defendit, donec uictoria Henrico Cæſari IIII. applaudente, ſæpedictus Rudolphus quarto iam prælio letali uulnere affectus, circiter annum Domini M.LXXXII. uitam morte cõmutauit, Merſopoli apud Saxones ſepultus. A cuius morte Bertholdus III. Ducatũ Sueuiæ tanquam a ſocero ſibi conceſſum uſurpat. Vnde inter Fridericum ab Alta Stouffen Comitem, & ipſum ſimultates maximæ ac bella ſubortæ ſunt, preualens tamen Fridericus ſoceri ſui auxilio (quanquàm Friderici Monoculi Sueuiæ Ducis nonnulli opera id factum dicant) Bertholdũ & pacem petere, & Sueuiæ Ducatum certis conditionibus reſignare coegit. Conditio aũt pacis hæc fuit, ut Bertholdus reſignato Sue-

*Agnes, Imperatoris filia nubit Friderico à Stouffẽ.*

*Rudolphus Roman. Rex electus intermitur.*

*Bellum inter Fridericũ ab Alta Stouffẽ & Bertholdum.*

*Turegũ Bertholdo III. datur poſſidendum.*

uiæ Ducatu, Turegum nobiliſſimum Sueuiæ oppidum, a manu Imperatoris ſibi in feudum datum, poſſideret. Fuit hic Bertholdus uir cum ſtrenuiſſimus, tũ fortiſſimus, unde ab antiquioribus de ipſo fertur, quod ſi quando nuncius aliqua triſtia illi adferens, ut fieri ſolet, hæſitare uoluiſſet, dixerit, Dic dic, ſcio enim uel lætis triſtia, uel aduerſis iucunda præire, quare ſatius duco, primum audire nubiloſa cum poſtmodum ſerena percepturus ſim, q̃ cognitis primo tranquillis rebus, mox procellas ſentiam. Egregia profecto uox, & forti Principe digna, qui literarum indoctus, humanarum rerum inconſtantiam, & fortunæ uolubilitatem cognoſcens: nec in aduerſis nimiũ frangebatur, nec in proſperis plus æquo extollebatur. Huius Bertholdi III. Zeringii Ducis, cognomẽto Sueui, ætate, pagus Friburgenſis Briſgaudiæ ad Hercynii iugi radices, iuxta uallis Falconei Lapidis fauces, ad Dreyſæ torrẽtis ripam ſitus, & incolis & diuitiis occaſione argentifodinarum, quibus tunc circuniacentia montana nobilitabantur, non parũ incrementi ſumpſerat, quare præfatus Dux Bertholdus eũdem multis emunitatibus & priuilegiis dotatum, circiter humanæ ſalutis annum uigeſimum ſupra undecies centeſimũ mœnibus cingere aggreſſus, ipſum a libertate, Friburg, quaſi libertatis arcem uocari iuſſit. De quo extat ſequens diſtichon.

*Bertholdi III Ducis à Zeringẽ magnanimitas.*

*Bertholdus III. cognominatur Sueuus unde uilla Friburgẽſis creuerit.*

*Friburgũ uilla Briſgoiæ à Bertholdo III Zeringio duce mœnibus cingitur.*

Anno milleno, centeno, bis quocꝫ deno,
Friburg fundatur, Bertholdus dux dominatur.

Orto deinde inter Hugonē Comitē a Dagiſsburg, & ſubditos ipſius bello, ſæpe nominatus Dux Bertholdus IIII illi tanq̄ cognato auxiliares copias adducens, prope Molsheym in Alſatiis una cum pręfato Comite inter pugnandū anno Virginei partus M. C. XXII. mortem oppetiit, cuius cadauer capulo impoſitum, diui Petri Hercyniis nemoris cœnobio illatū eſt, Principatu illius ad unum Cunradū Ducem Zeringenſem filium eius ueniēte, qui cum Friderico Monoculo Sueuorum & Alſatiæ Duci, atcꝫ Cunrado Franconiæ Duci, poſtea Romano Regi aduerſaretur, Fridericus cognomento Barbaroſſa, iuueuis adhuc, dicti Friderici Ducis Monoculi filius eidem bellū indixit, captocꝫ (ut Otto Friſingenſis refert) ſupra nominato Alemaniæ oppido Turego præſidia ſua illic locauit. Deinde iunctis ſibi quibuſdam Bauariæ nobilibus, pręfati Ducis Cunradi terram magna militū manu hoſtiliter inuaſit, atcꝫ ad ultima pene Alemaniæ procedens, uſcꝫ ad Zeringiam arcem peruenit, nemine ſibi uel obuiante, uel reſiſtere ualente. Nō multo poſt etiam arcem ipſius quandam, quæ cunctis adhuc cernentibus inexpugnabilis uidetur, expugnauit, ac præter multorum opinionem potentiſſimū ac ditiſſimum Cunradum bellica ui ad patrem, patruumcꝫ ſuos ſuppli

*Cunradus Dux Zeringius.*

*Fridericus Barbaroſſa bellum Cunrado Duci à Zeringen indixit.*

*Turego dux Cunradus expellitur.*

*Cunradus Dux Zeringius à Friderico Barbarossa uicitur.*

cem uenire, imperataq; facere coegit. Sunt qui credunt dominium ab Hochberg haud procul ab arce Zeringia ſitum, a dicto Cunrado Zeringio tũc extortũ, Fridericũ Barbaroſſam ſibi retinuiſſe, quod tamen poſtea Imperator factus, uni filiorũ Marchionis Veronenſis, ſecũ pro obſide ex Verona in Germanias abducto, circiter annũ Domini M.C.LV. feudali iure contulerit poſſidendum, a quo & Marchiones Badenſes ſuam duxerũt originem. Dictus preterea Cunradus Dux Zeringius Comitatũ Burgundiæ intra Iura & montẽ Iouis ſitum, quem minorem uocant Burgundiam, uel non paruam Heluetiornm partem complectentem, a Lothario IIII. Cæſare in feudũ obtinuerat, quo cum ipſe, tũ nepotes eius quiete potiti ſunt. Hic Cunradus clemens et manſuetus uxorem duxit Clementiam, nobili Francorum Ducum proſapia ortam, e qua quinq; liberorum, Cunradi, Bertholdi IIII. Rudolphi, Alberti, & Hugonis, parens factus. Naturæ ſatisfecit anno Domini M.C.LII. gentilitiæ diui Petri cœnobii ſepulturæ illatus. Inter cuius prefatos filios Cunradus puer adhuc debitum carnis ſoluit. Albertus arcem Draconii Lapidis, uulgo Drachenfels in Augia Voſagi poſſidens, abſq; prole ſpiritum exhalauit. Hugo Zeringenſe dominiũ Hercinii nemoris et Breuconis Augiæ obtinẽs, ſine liberis e uiuis diſceſſit, cum fratribus iuxta parentẽ ſepultus. Quare

*Cunradus dux Zeringius uxorẽ duxit.*

*Cunradus Dux obijt.*

*Cunradus minor Zeringius Dux, puer moritur.*

omnia

om̃ia et ſingula paterna bona unus Bertholdus IIII Zeringius Dux ex inteſtato adeptus eſt. Nam Rudolphus delitiarũ huius ſeculi contemptor, in prætorio Herdera propius Friburgum cœlebs degiſſe legitur, donec Leodienſis Eccleſiæ Antiſtes factus, pientiſſimi paſtoris officium intermiſit nunquã, ne ue memoria ipſius unquã intercideret, diui Lamperti quondã Leodienſis Epiſcopi capitis reliquias Friburgenſi Eccleſiæ donauit. Los anno circiter humanæ ſalutis annum M. C. XC. mortuus, atq; in præfato diui Petri cœnobio cum maioribus ſuis tumulatus. Cuius frater ſupra nominatus Bertholdus IIII. & minoris Burgundiæ Comitatũ, & Briſgaudiæ Zeringenſia dominia obtinens, nedum inchoatos ab auo ſuo Bertholdo III. Zeringenſi Duce, Friburgẽſis oppidi in Breuconis Augia muros anno Domini M. C. LXXX. abſoluit, ſed etiam Friburgum Auenticũ in Ychtlandia mœnibus cinxit, Berna quoq; Heluetiorum ciuitate per eundem incœpta. Huncin Burgundionũ Ducis (cuius terras igni & ferro depopulatus fuerat) odiũ, arcem Breucomagi, quod nunc Breuſacum dicitur, extruxiſſe inſcriptũ ſuperliminari ſequens diſtichon carmen arguit, cuius tenor eſt.

*Rudolphus, Dux à Zeringen, fit Epiſcopus Leodienſis.*

*Reliquiæ capitis D. Lamperti.*

*Bertholdi IIII Zeringij Ducis potentia.*

*Mœnia Friburgi Briſgaudiæ abſoluuntur.*

*Friburgum Auenticum, & Berna eriguntur.*

Hanc Dux Bertholdus portam ſtruxiſſe notatur,
A quo pro fraude Burgundia depopulatur.

Aſſerunt nonnulli oppidum quoq; Villingen

Hercynii nemoris ab hoc Bertholdo erectum, cæte ris Bertholdo V. id operis adſcribentibus. Hunc Bertholdum IIII. ut plurimũ podagra laboraſſe fe runt, qua tandem extenuatus, anno Domini M.C. LXXXV. hominem exuens, gentilitio parentũ & fratrum ſuorum conditorio illatus eſt, cui ſuper ſtites fuere tres liberi, Bertholdus uidelicet V. & duæ filiæ, quarũ altera Egenoni Comiti ab Vrach, altera uero N. Comiti a Kyburg nupſit, de quibus poſtea dicemus. Bertholdi V. Zeringii Ducis fata interim deſcripturi, quẽ opibus & potentia floren tem, in augendo principatu ſuo plus æquo cupidũ fuiſſe aſſerunt. Vnde non parum odii Baronum, & aliorũ terræ ſuæ nobiliũ (quos præter ius & fas ſpo liauerat) in ſe cõcitauit, quorũ opera & machinatio nibus duos, quos genuerat filios, in pueritia uene no extinctos amiſit. Quocirca ex Ychtlandia rece dẽs, ut in plurimũ deinceps Breuconis Augiã inha bitauit. Bernam ciuitatẽ, in nobilitatis extirpationẽ quam ipſe anno Dñi M.C.XC. abſoluit, Imperio ad Friderici II. Cæſaris manus libere donauit: hũc enim filiis orbatum dixiſſe ferunt: Progeniẽ meam huius terræ nobiles ueneno interimerũt, & ego eos quoq; hac ciuitate inficiã, Bernenſe oppidum ſigni ficans, quam tũc perficere conabatur, nec defuit uer bis euentus. Præſagiebat nimirum inſtinctu, neſcio cuius, generoſam nobilitatem Ychtlandia olim ex terminan

*Bertholdi V. potentia, & auaritia.*

*Bertholdi V. proles ueneno interijt.*

*Bernam ciuitatẽ Bertholdus V. Imperio donauit.*

terminandam, quod noſtra ſecula uidere adimpletum. Bernenſibus igitur Fridericus II. Imperator, ut in perpetuam Romanũ Imperium ſeruarent fidelitatem, non pauca contulit priuilegia, cuius Friderici II. filio Henrico VI. Roman. Imperatore circiter annum Domini M. C. XCIX. defuncto, quidam ex Germaniæ Principibus (ſi Vrſpergenſi creditur) habito conuentu Coloniæ, iam dictum Ducem Bertholdum Rom. Regem contra Philippum nunc dicti Henrici Cæſaris fratrem eligũt, acceptis in expenſarũ ſolutionem prædibus Cunrado & Bertholdo, Egenonis Comitis ab Vrach filiis, ac Ducis Bertholdi ex ſorore Agnete nepotibus. Quamobrem haud parum indignatus Sueuorũ Dux Philippus, fauore Principũ ſibi adhærentiũ, & ipſe comitiis in Mulhauſen oppido Thuringiæ coactis, Sueuorum, Bauarorum, Saxonum, ac Bohemorũ unanimi ſuffragio, Roman. Rex deſignatur. Cuius diſſenſionis cauſſa Romanum Imperium uariis malis, præcipue apud Germanos, tunc affectum eſt. Diffidens tandem Bertholdus Zeringius nuper Coloniæ electus, de expenſarum ſolutione, ceſſit Philippo, cum eodem in gratiam redeũdo. Liberaliſſimũ præterea in diuini cultus miniſtros, & ſacrata loca hunc Bertholdum ex eo fuiſſe arguimus, quod ipſe una cũ Guelfone Duce, ac uxore eiuſdem Duciſſa de Schouenburg, & Hugone Duce ab Vlmẽburg,

*Bertholdus V. in Romanorum Regẽ eligitur.*

*Philippus, Sueuiæ ac Alſatiæ Dux cõtra Bertholdum eligitur.*

*Bertholdus cedit Philippo.*

Fundatores cœnobij Omnium Sancto rum prope Oberkirch.

monaſterium omnium ſanctorum in Hercynio nemore prope Oberkirch, & cõſtrui & magnifice dotari curauerit. Mortuus tandem circiter annum Domini duodeuigeſimũ ſupra duodecies centeſimũ, cum quo & tota uirilis ſtirps Zeringii ſanguinis interiit, quam ad annos ferme trecentos ab ortu ſuo continuatã duntaxat inuenimus. Errant igitur, qui Rutharium Comitem primũ Gengebacẽ. cœnobii fundatorẽ, Zeringium Ducem fuiſſe affirmant, cum ea tempeſtate, qua Gengenbachũ a Ruthario Comite circiter annum Dominicæ Natiuitatis M. CC. LII. ſub Pipino Rege Francorum extruebatur, Zeringium cognomen nondum apud Rheni accolas in rerum natura extiterit, quanquã nõ diffiteamur Zeringios ſupradictos Duces maternum quoqꝫ genus a iã nominato Ruthario Comite forſan traxiſſe, eoſdemqꝫ inchoatũ a Ruthario Comite cœnobium magnificis donationibus locupletaſſe. Quocirca etiam inter fundatores Gengenbacenſis monaſterii tanquã cooperatores non immerito cenſeantur. Iam Bertholdo V. e uiuis, ut diximus, ſublato, alteri ſororiorum ſuorum Comiti a Kyburg, Burgundiæ Comitatus, & Friburgũ Ychtlandiæ. Alteri uero Egenoni Barbato, Comiti ab Vrach, quicquid in Sueuia aut Breuconis Augia Bertholdus habuerat, hereditario ceſſit, qui Egino cũ duos haberet filios, Cunonem ſeu Cunradum, & Eginonem. Cu

Quãdiu Zeringij Duces rexerint.

Gengebachũ fundatur.

Zeringij Duces dotarunt cœnobium Gengebacenſe.

Diuiſio dominiorum Bertholdi.

Egeno barbatus, Comes ab Vrach.

nem. Cunoni tanquã natu maiori Briſgoiam. Egenoni uero Sueuiæ dominia poſt fata reliquit poſſidenda, a quorum priore Comites Friburgenſes, a poſteriore uero Domini a Furſtenberg originem traxere, ueluti Auſtrias noſtra, Deo auſpice, clarius indicabit. Contenti nancꝫ hoc loci erimus, & Zeringios Duces Habsburgia domo propagatos, & cœnobiũ Vualtkirch ab Habsburgio Comite Berthilone conſtructum indicaſſe, quod noſtro ſeculo ex certis & legitimis cauſſis in ſecularis cleri Canonicale collegium ſummi Pontificis, Imperatoris, atcꝫ Auſtriæ Archiducum aſſenſu tranſmutatũ, hactenuſcꝫ celebribus & doctiſſimis Canonicis laudatũ, nunc eximio, ingenuo uiro, Nicolao Vurmſero, artium, atcꝫ utriuſcꝫ Iuris Doctore, illius Decano laudatiſſimo. Poſthac reuerendiſs. Domino, D. Balthazaro a Vualtkirch, Mellitenſis, Hildesheimeñ. Eccleſiarum Epiſcopo &c. Sacræ Cæſareæ Maieſtatis per Imperium Vicecancellario, Oratori ac Commiſſario, ibidem Præpoſito. Multo laudatius habebitur, nomine ipſius per omnem Hiſpanorũ et Germanorũ ora uolitante. Nullum etenim talem alumnum antehac oppidulum ſeu cœnobiũ Vualtkirch protulit unquã, quem in Pylios annos & mente & corpore ſanum Superi nobis patronum conſeruare dignentur.

*Cuno Comes Friburgenſis*

*Origo Dominorum à Furſtenberg.*

*Cœnobium Vualtkirch trãſmutatur in collegium Canonicale.*

## PERORATIO.

HAbes, candide Lector, illuſtris Zeringiæ domus & ortum & occaſum tumultuario, ſtrictimq́ꝫ a nobis triuiali admodum ſtylo congeſtos, plus etenim argumento inueniundo, q̃ uerborum elegantiæ hic ſtuduimus. Veniam igitur dabis, ſi quid balbutienti lingua peccatũ ſit, liuidos dentes in nos cohibiturus.

SEQVITVR GERMANICÆ
Libertatis libellus, quo Germanos Gallis, neminem uero Gallum a Chriſtiano Natali Germanis imperaſſe, certiſſimis claſſicorum ſcriptorum teſtimoniis probatur.

ITEM

Germanorũ Francorum Regum, qui Gallis ex ordine imperarunt, nomina, cum genealogia Caroli Magni, hactenus inuiſa.

ITEM

Nantuantes, Heluetios, Raurices, Tribotes, ſeu Alſatas, Nemetes, Vangiones, Moguntiacos, ac Vbios, non Gallos, ſed uere Germanos eſſe, haud proletariorum ſcriptorum atteſtatio.

Hieronymo Gebuilero
Authore.

Reuerendiſſ.

# REVERENDISS. AC MAGNIFICO DOMINO, D. IOHANNI TECTONOS, VIENNENSIS

Eccleſiæ Antiſtiti uigilantiſſimo, Sereniſſimi Principis ac Domini, D. Ferdinandi, Vngariæ ac Bohemiæ Regis &c. Conſiliario, Domino & Mœcenati ſuo in primis colendo, Hieronymus Gebuilerus S. D.

DVabus potiſſimum uirtutibus, iuſtitia ſcilicet ac clementia, Reuerendiſſime Præſul, nobile optimi cuiuſcꝫ Regis ingenium dinoſcitur, quarum hac peccantes, illa uero bene meritos afficit, cunctipotentis nimirum Dei bonitatē & iuſtitiam ſectando. Is nempe & uoluntatem timentium ſe facit, & ſolem ſuum tam bonis q̄ malis illuceſcere permittit. Quocirca nullo non laudum præconio illuſtriſs. Rex Ferdinandus merito extollitur, qui (ut iuſtum Regē decuit) uacanti nuper paſtore Vienneñſi Epiſcopio, cunctis affectibus ſemotis, Magnificā Excellentiam tuam, omī uirtutum & doctrinarum decoro ad id muneris requiſito excultā, Preſulem inſtituit, haud ignorās te, qui utriuſcꝫ teſtamenti, aliarum item diuinarum ſcripturarum Cyclopędiam abſolueris, et Dominicū gregem cum exemplo, tum uerbo uitæ

facilius paſturum, & lupos rapaces ſepta ouium tu
arum depopulaturos, citra laborem propulſurum.
Quo nanq; zelo Catholicæ Eccleſiæ, ac orthodoxæ
fidei cauſſam paſſim & publice contionando & ſcri
bēdo intrepide hactenus defenderis, latet neminē.
Quod ſi tui ſimiles Epiſcopos iamdudum Præſula
tibus ſuis Germania pręfeciſſet, haud quaquā in tot
orthodoxæ fidei errores incidiſſet. Quis etem̄ igno
rat, ſecordia & inertia paſtorū, torpeſcens & errans
pecus rapacibus lupis opportunius in prædā dari?
Circuit enim Diabolus tanquā leo rugiens, indeſi-
nenter quærēs quem mactet ſeu perdat. Nec mirū,
ſi ſtertente patrefamilias, fur domum illius perfode
rit. Adde, quod plæriq; paſtorum commiſſis ſuæ fi
dei ouibus, luxu, ac morū ſuorum peruerſitate non
paruam errandi occaſionem præbuerint. Non igi-
tur temere inſigni Viennenſiū literario Archigym
naſio, doctiſſimiſq; illius profeſſoribus ac rectori-
bus congratulabimur, te multo doctiorē ipſis præ-
fectum Antiſtitem, quod cum perſona dignitas, tū
dignitate perſona haud parum decoretur. His ergo
honoribus tuis, Reuerendiſs. Præſul, congratulatu
ri, Germanicæ Libertatis libellum, olim electo iam
in Romanorum Regem ſereniſs. Principe ac Domi
no, D. Carolo, Hiſpaniarū Rege &c. a nobis ædi-
tum, nunc tamen denuo elimatiorem & auctiorem
ſtanneis calamis excriptum, tibi nuncupamus & de
dicamus,

dicamus, ſperantes illius lectione haud parū te oblectatum iri. Illic nanq; & Caroli Magni, primi eius nominis Imperatoris, utriuſq; parentis uetuſtiſſimam proſapiam, hactenus paucis notam, ſtrictim de nouo inſertam reperies, qua pellecta, eundem ſacratiſſimo Cæſari noſtro Carolo V. eiuſq; Germano fratri Sereniſs. Regi Ferdinando tribulem fuiſſe comperies. Vnde quicquid uaticiniorū de futuris Carolingiæ ſtirpis Regibus, uel in Francorum Regum annalibus, uel alibi repereris, præſentibus Auſtriacis Archiducibus, aut illorū poſteritati adſcribas. Nā præter eius domus Principes, qui Carolingiæ ſtirpis ſint, reperies nullos, quod ut liquidius cunctis innoteat, Caroli Magni progenitores huic libello longa ſerie repetitos inſeruimus. Chartam quoq; per imagines eiuſdem ſtemmatis ędidimus, quam nomini tuo quoq; dicatam, ita sereniſs. Regi Ferdinando, ac inuictiſs. Cæſari Carolo V. ita commendare digneris, ut illorū gratia & fauore adiuti, optatum tandem Auſtriadi noſtræ portū inueniamus. Interea perbelle ualeat R. P. T. noſq; clientulorum ſuorum albo inſcribi haud dedignetur, ad cuius obſequia nos uiciſſim exhibemus paratiſſimos.

Datū Haganoæ Calendis Auguſti, Anno Domini M. D. XXX.

## SERIES REGVM FRANCORVM GERMAnorum, qui ex ordine Gallis imperarunt.

### Merouęorum ſtirps.

I. Pharamundus
II. Clodio Crinitus
III. Merouęus
IIII. Childebertus
V. Clodoueus Pulcher, primus Francorum Rex Chriſtianus.
VI. Lotharius primus
VII. Chilpericus
VIII. Lotharius ſecundus
IX. Dagubertus magnus
X. Clodoueus ſecundus
XI. Lotharius tertius
XII. Theodoricus
XIII. Childericus
XIIII. Clodoueus tertius
XV. Childebertus ſecũdus
XVI. Dagubertus ſecũdus

In hoc Merouęorum ſtirps defecit.

### Carlingorum ſtirps.

xvij. Pipinus Puſillus
xviij. Carolus Magnus
xix. Ludouicus Pius
xx. Carolus Caluus
xxi. Ludouicus Balbus
xxij. Ludouicus Balbi filiꝰ
xxiij Carlon
xxiiij. Ludouicus nil faciens
xxv. Carolus Simplex
xxvi. Ludouicus Sim. filius
xxvij. Lotharius quartus
xxviij. Ludouicus, Lotharii quarti filius, in q̃ Carlingorũ ſtirps defecit. Nam Hugo Capetus, Gallus, ui regnum attraxit.

## CAP. I.

DVbia, & Gordii nodis intricatior, iamdudum plæriſq; uel doctis ſuboritur contentio, imperarint ne Galli unquã Alſatis, Argentinenſibus, cæteriſue Rheni accolis? Quibuſdam omnem Rheni tractum, immo totam ferme Germaniam, Thuringiam, Sueuiam, Saxoniam, & Bauarorũ fines, Francorum Regibus audiuiſſe, pertinaciter contendentibus. Aliis uero, quaſi Germanicæ gloriæ id notam quandã inureret, Teutones & Alſatas Gallis nunq̃ fuiſſe ſubditos, uerum Germanos ultra quinq; ſecula ei genti & Reges & Principes dediſſe, certiſſimis argumẽtis probare adnitentibus. Illis relictis, claſſicorum ſcriptorum teſtimonio perſuaſus, iis facilius ſubſcribo. Nam ſi Gallorum Regum (quos nũc ex uſu Francigenas dicimus) originẽ & ſtemmata oculatius inſpexeris, Germanos, quos tunc communi uocabulo Francos appellabãt, D. L. annos Regio faſtigio Celtis præfuiſſe, clarius luce reperies. Quorum Regum uetuſtam originem a Troiano Hectore deriuatam, cum ſufficiẽter primo Epitomatis noſtri libro deſcripſerimus, a Pharamundo Germano Francorꝫ et Celtarum Rege primo initiũ ſumemus.

## CAP. II.

PHaramundus, Marcomiri Ducis filius, natione Germanus, Celtarum & Francorũ Rex conſtitu



*Pharamūdus primus Francorum Rex.*

tus, quum undecim annis regnaſſet, uitā morte commutans, filiū reliquit Clodium, cognomēto Capillatum, ſeu Crinitum. Qui patri hæres ſuccedens, augēdi regni deſyderio quū adhuc in Germania anguſtis finibus arctaret, Thuringos ſibi finitimos ſuæ ditioni adiecit, occupato Tuiſchburgo oppido, q̊d Tuiſconis primi Teutonū Regis olim Regia fuit. Vbi regni ſede conſtituta, Gallos poſtea inuadens, quatuor luſtris Francorum regni habenas moderatus eſt, Meroueo filio & regnum & Regium titulū relinquens, in cuius progenie faſces Regii uſq; ad Pipini Puſilli tempora continuantur. Hic Meroueus etſi ab Hunis, Gallias tunc depopulantibus, grauiſſima perpeſſus fuerit pericula, Etii tamen Patritii Romani pręſidio, in campis Cathaluniacis aduerſus Attilam Hunorum Regem fœliciſſime pugnauit. In eo nanq; prælio centum & octuaginta millia occubuiſſe traduntur. Horum Clodii & Merouei ductu, Francos Germanos Rhenum tranſgreſſos, Gallias occupaſſe, ac temporis progreſſu Francorū nomen tota Gallia auctū fuiſſe, Sabellicus teſtatur. Quare Meroueus pro genuina Germanici ſanguinis in

*Clodius Crinitus ſecūdus.*

*Meroueus, tertius Rex.*

*Huni proſternuntur.*

*Sabellicus.*

nis indole regno commodiſſimus, decennio Principatus ſui completo, naturæ debito ſatisfaciens, unicum filium Childericum regni reliquit hæredem. Qui a paternis moribus prima adoleſcentia degenerans, libidine ac adulteriis apud ſuos penitus uileſcebat, maturiore tamẽ accedente ætatula, lubricum & petulans ingenium bellica uirtute permutans, clariſſimis nobilitatus uictoriis, Baſinam Thuringiæ Regis uxorem (quæ inuito marito diſceſſerat) conſortem thori accipiens, Clodoueum primum non citra portentoſorum inſomniorum apparitionem ſuſcepit, qui ob corporis elegantiã Pulcher cognominatus, parẽti ſuo poſt XXIIII. adminiſtrati ſceptri annũ fatis ſublato, hæres ſucceſſit. Hic ut egregia forma erat, ita & magnanimitate, pręclariſq; moribus facile gratiam omnium ſibi comparãs, Ethnicus adhuc, Crotildim Burgundionum Regis filiam Chriſto initiatam, coniugem duxit, cuius perſuaſu a B. Remigio Remenſi Archiflamine, ipſe quoq; luſtrali baptiſmatis unda emaculatus, olei uaſculum, quo Francorum Reges inunguntur, pannum item ſericum, quem Auriflammã dicunt, peculiare contra hoſtes Francorum præſidium, & tria lilia diuinitus cœlo ſibi demiſſa uidere meruit. Quare iis donis ſuperne miſſis Gallia nihil glorietur, quum Germanorum Francorum Regi Clodoueo hæc prærogatiua contigerit, qui fidei lumine illuſtratus, in di-

*Childericus IIII. Francorum Rex.*

*Baſina.*

*Clodoueus Pulcher, V. Rex.*

*Vaſculũ olei. Auriflamma. Tria lilia.*

*Argentinẽſis Epiſcopatus erigitur.* tibus, emolumentis, uillarum, pagorum dominiis dotauit magnificentiſſimis. Tunc quoqꝫ præclara Argentinenſiũ ciuitas, intemeratæ uirgini Mariæ dono tradita creditur: ſub cuius numine, ſi digne colatur, periclitabitur nunquã. Francorum igitur Reges, ſi Epiſcopia ſeu cœnobia per Germanias erexiſſe legeris, tales non Gallos, uerum Teutonas ac Germanorũ Francorum Reges extitiſſe ſuſpiceris. *Francorũ Reges qui dicãtur.* Vſus eſt hic Dagubertus familiariſſime ſacerdotibus, ſanctimonia uitæ ac doctrina celeberrimis, Amando, Arbogaſto, & Florentio, quos Argentinenſi Eccleſiæ paſtores præfecit. *Amandus, Arbogaſtus, Florentius.* Tandem ſedecimo monarchiæ ſuæ anno ſpiritum exhalans, diuorũ rationario inſcriptus habetur. Quem filius Clodoueus ſecundus in Francorũ regno ſecutus, ſedecim annis ſceptra gubernãs, mortem oppetiit, Regium diadema filio ſuo Lothario III. cõmendans, qui nulla prole auctus, quarto principatus ſui anno extinctus, Theodericũ fratrem ſuum natu iuniorem habuit ſucceſſorem. *Clodoueus, X. Rex. Lotharius III XI. Rex.* Cui uel ſine prole mortuo, alius fratrũ Childericus Auſtraſiæ Rex, Francorũ regni hæres inſtituitur. *Theoderícus Rex XII. Childericus, XIII. Rex.* Quem citra ſobolem e uiuis excedentem, tertius fratrum Clodoueus in Regio ſolio ſuſequitur. *Clodoueus tertius, Rex XIIII.* Qui liberis carens, naturæ debitum exoluens, Childebertum regni Francorũ habuit hæredem, qui nil clari gerẽs, regno exauthoratus, unicum filium, cui Daguberto ſecundo nomen erat, *Childebertus Rex XV.*

principatus ſui reliquit ſucceſſorem, quem eius ſtirpis ultimum Regem fuiſſe aſſerunt. Præfati ſex ultimi Francorum Reges, quanquã Germani, ac Germano ſanguine geniti eſſent, diuitiis tamẽ, uoluptatibus, & otio (quibus præclaro ingenio pernitioſius nihil) ineſcati, omnem Regni ſui adminiſtrationem maioribus domus permittentes, ad id contemptus deuenere, ut totius populi ſolicitatiõe, Regale ſceptrum ab illorum, Meroueorum uidelicet gente penitus (ut ſequenti capite dicetur) ſublatum ſit. *Daguberlus II. rex XVI.* *Merouecorũ ſtirps cur defecerũ.*

## CAP. IIII.

Maiores domus appellabant, quos ex nobilioribus regni primatibus, palatiiq; præfectis, ſeu cubiculariis eligebãt, omnem liberam regni adminiſtrationem illis permittẽtes. Hinc Principum permiſſione ac ignauia euenit, ut Regibus titulotenus honoratis, uel nulla uel modica eſſet imperandi poteſtas. Nam opes & regni potentia penes maiores domus cõſtitutę, nihil reliqui fecere Principi, ꝙ ut Regio tantum nomine contentus, crine profuſo, barbaq; ſubmiſſo ſolio reſidẽs, dominantis uultum præ ſe ferendo, Legatos undecunq; uenientes audiens, abeuntibus reſponſa, quæ uel ipſe doctus uel iuſſus erat, ueluti ſeipſo authore redderet. Siquidem præter inutile Regis nomen, ac precariũ uitæ ſtipendium, quod præfecti aulæ miniſterio exhibebatur, nihil aliud poſſidebat, præter perexigui red- *Maiores domus.*

*Regum Francorum conditio ſub maioribus domus.* ditus uillam, qua & domũ & pauciſſima obſequia famulitio habebat præſentia. In Regiam, quod palatium diciur, ſemel duntaxat in anno, Calendis uidelicet Maii admiſſus, congregato illic populo uidendus producebatur, mox in uillam ſuã redire iuſſus, inertia torpebat. Regni etenim gubernacula, & omnia quæ uel foris uel domi agenda, ſeu diſponenda erant, præfectus aulæ, maior, inquam, domus procurabat. Quo honore Pipinus Puſillus hereditario iure ſub Hilderico in Auſtraſia, & demum ſub Theoderico in Francorum regno functus, deſidia, torpore, ac otio Regum attentis, totius populi conſenſu, *Pipinus Puſillus Papam conſulit.* Zachariam primum tunc Romanæ Eccleſiæ Antiſtitem, literis conſuluit, Vter illorum Regio faſtigio dignior habendus, is ne, qui Regio nomine gaudens, nec conſilio, nec opera ſubditis quicquã prodeſſet: aut qui omnem regni adminiſtrationem occupans, præter maieſtatis nomen, & pacis & belli conficiundi plenarium ius poſſideret: *Zachariæ decretum.* Zacharias hũc potius Regem habendum decreuit, penes quẽ ſumma Regiæ adminiſtrationis citra nomen conſtitueretur. Quare Childerico detonſo, ac monaſterii clauſura ſepto, Pipinus Puſillus in Francorũ regno ex Carlingorum ſtirpe primus Rex eligitur, quem ex nobiliſſimo Francorum Germanorũ ſtemmate ortum traxiſſe, ſequenti capite deducemus.

Cap. v.

## CAP. V.



CAroli Magni, eiuſq; poſteritatis maiores, a Francorum Germanorꝝ Regibus, a quibus & Merouei deſcenderunt, ortũ traxiſſe oſtẽſuri, Ansberti Ducis, qui & Nicanor dictus fuit, progenitores primum recenſebimus. Hũc etenim (Hunibaldo teſte) Dux Sigubertus genuit, Siguberto Duci Priamus pater extitit, Ducem Priamũ Heribertus procreauit, Principi Heriberto Dux Leontius genitor fuit, Leontium Dux Meroueus, Meroueum Diocles, Dioclem Dux Sunno propagauit, Ducẽ Sunnonem Genebaldus II. Francorũ Interrex genuit, Genebaldo Interregi Dagubertus primus Francorum Interrex, ac Marcomiri Francorũ Regis, a Valentiniano bello interempti, frater parens fuit, quẽ Dagubertum Clogio II. Francorũ Rex genuerat, Clogionem Theodomirus Rex, Theodomirũ Richimerus Rex, Richimerum uero Clodomirus III. Francorũ Rex, & Genebaldi primi Franconiæ Ducis frater procreauit. Dictos preterea Clodomirum Francorum Regem, ac Genebaldũ Franconiæ Ducem Dagubertus Francorũ Rex filios ex ſe relique-

*Dux Ansbertus ſeu Nicanor.*

*Genealogia Ducis Anſberti.*

*Dagubertus, Francorum Interrex I.*

rat, à quorum altero, Genebaldo ſcilicet, Duce Meroueorum, ab altero uero Clodomiro Rege ſtirps Carlingorum, uti iam docuimus, defluxit, quarum utriq; præfatus Dagubertus Rex author fuit. Quocirca & Merouingos & Carlingos principes, ſi primam originē attenderis, eodem fonte manaſſe conſtat, quod in Epitomate Auſtriados noſtræ nuper planiſſime deliniatum, multo clarius in maiori opere aperiemus, ſacratiſſimā Cęſaream atq; Catholicā maieſtatem, ſereniſs. item principem & Dominū, D. Ferdinandū, Bohemiæ atq; Hungariæ Regem, Auſtriæ Archiduces &c. & Meroueorum & Carlingorum familiā nunc referre, ibidem declaraturi. Ad Ansbertum principē interea reuertamur, quē Lothario primo Francorum regno præſidente, diuitiis, potentia, & uirtute florentem, Blitildim præfati Regis filiam uxorem duxiſſe cōſtat, cum qua & Marchionatū Antuerpienſem dotis nomine obtinuit, ex eadem tres filios, Arnoldum, Feriolem, ac Modericum, unamq; filiam Tharſitiam nomine generās. Feriol Traiectenſis Eccleſiæ factus Antiſtes, martyrio cœlitum albo inſcribitur. Modericus Arſinenſis Eccleſiæ præſul creatur. Tharſitia Renis in Armorica, quæ nunc Britannia dicitur, hominem exuens, ꝙ ſanctiſſime uixerit, pro diua habetur. Arnoldus uero, diui Ansberti filius, II. Marchio Antuerpienſis, ex ſe Arnulfum III. Marchionem Antuerpien-

*Blitildis uxor Ansberti.*

*Arnoldus.*
*Feriol.*
*Modericus.*

*Arnoldus, Marchio Antuerpienſis.*

uerpien.

uerpienſem filium reliquit, qui a primis adoleſcentiæ annis Dodam mira ſanctitate fœminam matrimonio ſibi copulans, trium ex eadem filiorũ, Flondulphi uidelicet, Anchiſæ, & Vualchiſæ pater factus eſt. Flondulphus Martinũ, poſtea iuſſu Ebronis maioris domus occiſum, genuit. Vualchiſus Vuandrageſillũ ſanctiſſimum Chriſtianũ confeſſorem propagauit. Anchiſes uero, IIII. Marchio Antuerpienſis, Beggam Brabantiæ Duciſſam thori conſortem una cum Brabantiæ Ducatu adeptus eſt, ex qua Pipinum cognomento Groſſum, ſeu ab Heriſtell, ſuſcepit, uirũ excellenti prudentia, conſilio, & audatia, & ob eas uirtutes Theoderico Francorũ Regi gratiſſimũ, atq; maioris domus honore ſublimatum, cuius prolem priuſq̃ deſcribamus, iam dictæ Beggæ, diuæq; Gertrudis Niuellenſis cœnobii Abbatiſſæ, ſororis eiuſdem, illuſtriſſimos natales hoc loci obiter quoq; inſerendos duximus. Has nanq; Pipinus, cognomẽto A Landen, Brabantinorum Dux, Carolomãni Ducis filius, & Princeps ſeu Comes Palatii regni Francorũ, ex Ita coniuge ſua propagauerat, poſt mortem Brabantinorum opinione diuorum rationario inſcriptus, cuius ſepulchro ſequens legitur Epitaphium inſculptum.

*Doda uxor Arnolphi.*

*Anchiſes Dux.*

*Sequitur Genealogia Beggæ matris Pipini ab Heriſtell.*

Iſte Brabantinus Dux tertius Auſtriaſorum
Primus erat, maiorq; domus regni gladiator.

Pipinum a Landen Carolomannus Dux Brabantiæ

norum procreauit. Carolomanno Carolus cognomento Hasbauienſis, Brabantinorum & Tungrenſium Dux, pater extitit. Hasbauienſem Carolũ Carolus Naſon Auſtraſiæ Dux, ex Vualberga, Berengariæ Thuringiæ Ducis filia ſuſcepit. Cui Carolo Naſon Auſtraſius, Tungrenſium, & Brabantinorum Dux parẽs fuit. Qui Auſtraſius Clodouei primi Francorum Chriſtiani Regis temporibus totam fere Belgicam Galliam gubernans, illam a ſuo nomine Auſtraſiam nũcupauit. Auſtraſium principem Lando Brabantinorũ & Tungrenſium Dux, Chriſto initiatus, genuit, qui res Francorũ ſua ætate proſperari, Romanorũ uero potentiam paſſim minui ſentiẽs, ab his deficiens, Childerico Francorum Regi adhæſit. Landonem Carolus Pulcher ſub Marciano Imperatore Tungrenſibus & Brabantinis dominãs, procreauit. Carolo Pulchro Anchiſes Dux, Tungrenſis & Brabantini Ducatus confirmatione ab Honorio Cæſare impetrata, pater extitit. Anſigiſum ſeu Anchiſem Taxander Brabantinorũ Dux procreauit, hunc a Gratiano, Theodoſio, & Maximino Imperatoribus non pauca priuilegia conſtat impetraſſe. Taxandro Duci Marſiandus Dux Brabantinorum pater fuit, qui Cõſtantini Magni temporibus Picardiam, Hennigoiam, & Artois Romanorum nomine annos XLII. rexit. Marſiandum Dux Artſardus Tungrenſium & Brabantinorum

*Carolus Naſon.* *Auſtraſius Dux.* *Lando Dux.* *Carolus Pulcher.* *Anchiſes Dux.* *Taxander Dux.* *Marſiandus Dux.* *Artſardus Dux.*

princeps

princeps filiũ ſuſcepit, temporibus Maximiani Cæſaris. Artſardo Bericus Tungrenſiũ & Brabantinorum Dux parens fuit. Bericum Godefridus Tungrenſes & Brabantinos Romanorum nomine, temporibus Marci Anthonii Veri gubernãs ex ſe natũ reliquit. Cui Godefrido Gotthardus Tungrenſiũ ac Brabantinorum Dux, Anthonino Pio imperante, genitor extitit. Gotthardũ Octauius genuit, qui præter Tungrenſium ac Brabantinorum Ducatus, Belgas fere omẽs ſub Traiano Cæſare regens, ex Iulio, Iuliacenſium fundatore, natus fuit, cuius ætate & Tornus Tornacum, & Granus Aquiſgranũ condidit. Huius Iulii ſator fuerat Carolus Brabon, Brabantinorum, Tungrenſium & Thuringorũ Dux, ac Rex Vbiorũ, ea tempeſtate, qua Octauiano Auguſto imperante, & Clogione Rege Francis dominante, factus eſt maximus ille cenſus Romanorum, quo uniuerſus fere orbis deſcriptus eſt, benedictiſſimo ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto ſub idem tempus nato. Hæc idcirco extremis nunc, ut aiũt, digitis tractata inſeruimus, ut & paternum et maternũ Caroli Magni genus cũctis pateret. Vberiorem ſuper his in maioris Auſtriados noſtrę libris mentionẽ facturi, ad Ducẽ Pipinũ ab Heriſtell, Beggę filiũ interim tamẽ redeam9, qui ex Plectrude cõiuge duos filios Druonem Campaniæ Ducem, & Grimoaldũ, poſtea maiorem domus regni Auſtriaſorum, ex Alpa

Gotthardus Dux.

Octauius Dux.

Carolus Brabon, rex Vbiorum.

Carolus Martellus.

ide uero concubina Carolũ Martellũ ſuſcepit. Mortuus anno Virginei partus DCC. XIIII. cuius filius extramatrimonialis a Plectrude nouerca in uincula Coloniæ coniectus, effractis carceribus ferrea & robuſta natura homo, defuncti parentis præfecturæ palatii honorem, compluribus etiam cruentoſis præliis candidatos & cõpetitores retundendo, forti manu obtinuit. Longe lateq; bellando gentis gloriam auxit, Saxones, Sueuos, & Alemãnos Francis rebelles uicit. Saracenis Pictauorum fines irruentibus, cum Eudone principe occurrens, non citra funeſtiſſimam cædem hoſtes profligauit: eo quippe prælio trecenta & ſeptuaginta Saracenorum millia deſyderata ſunt, ex Francis mille duntaxat & quingentis occiſis. Hic Martellus quum Francorũ rem per annos uigintiquinq; fœliciter adminiſtraſſet, obita morte in diui Dionyſii templo conditus eſt, ante tamen liberis diſtributo imperio, Carolomanno conceſſit Auſtraſiam, Sueuiam, Alemaniam, & Lotharingiam, Pipinum Gallis præfecit, Gryphonem natu minimũ teſtamento præteriit, quocirca fratribus maximũ bellum, Saxones in eos ſolicitando, Grypho intulit. Quibus Marte contritis, Carolomannus gloria fortiter ac præclare geſtarũ rerum ſatiatus, ſeceſſit in cœnobium ad Soracte, quod & ipſe conſtruxerat, religioni ac diuino cultui mancipatus, omĩ rerum cura Pipino Puſillo fratri relicta

Caroli Martelli uictoria.

Carolomannus fit monachus.

Pipinus

Pipinus Puſillus Francorum regno maior domus in patris locũ conſtitutus, imperii ſui limites paterno more amplians, hoſteſq; ſingulos uictorioſiſſime cõterens, uiſa Francorum Regum, qui ex Merouea gente deſcenderãt, inertia, Samuelem quendam olim cucullatum, ac in Daguberti ſecũdi demortui locum, mutato nomine, a regni proceribus Regio ſolio intruſum, & Chilbericum appellatum, Pontificis Zachariæ, ut diximus, decreto, totius cleri ac populi conſenſu deiiciens, & ad monaſterii clauſuram denuo tonſum redire compellens, Regio inſignitus diademate, a diuo Bonifacio Mogũtino Archiepiſcopo unctione (ut moris eſt) conſecratur. Hinc tranſcenſis alpibus, laboranti Stephano Romano Pontifici, contra Longobardos opem ferens nauatiſſimã, primus Francorum Regum Chriſtianiſſimi cognomentũ adeptus eſt. Tantum prꝫterea ſingularis prudentiæ Germani huic ſuo Pipino tribuere, ut ſagaciſſimum ac ſolertiſſimũ quenq; nunc etiam Pipinum, Teutonice Kunig Pipis appellent. Quem proculdubio Germanum fuiſſe, genus indicat, atq; patre Teutonico Carolũ Magnum æditũ, fideliſſimi ſcriptores in literas retulerunt. Tandem XVII. regni ſui anno uita functus, duos principatuum ſuorum legitimos habuit ſucceſſores, Carolomannum, & Carolum Magnum, qui ambo Reges procerum decreto deſignati, ſed paucis exinde die-

*Samuel monachus in Regem aſſumitur.*

*Samuel exauthoratur.*

*Pipinus Francorum Rex XVI.*

unquã poſſedit. Tibi igitur haud parum gratuleris inclyta Germania, Martialium uirorum fœcundiſſima, tot clariſſimis illuſtrium ac generoſorum principum & Comitum ſtemmatibus refertiſſima, e quibus uacanti Cæſareæ ſedi prudentem & paciferum Auguſtum, longinqua Gallorum gente procul repulſa præficias, ne quæ cæteris hactenus imperaueris, quam ue exteræ nationes cum tremore quodam ſuſpexerint, extorri quopiam, nõ Germano ſanguine progenito, hoc inſigni adornato, ueluti mancipium ſeruire cogaris. Sed ad Caroli heroica geſta reuertamur, quæ tot, tãtaq; fuiſſe fido teſtimonio percepimus, ut hunc Germanorũ Numam Herculem ac Hectora merito appellemus. Quorum legendorum deſyderio ſi quiſquã capiatur, Turpinum, & alios hiſtoricos reuoluat, hac in re atticiſſimos. Exiuit hominem Carolus LXXII. ætatis ſuæ anno, regni XLII. Imperii Romani XIIII. Salutis uero humanæ DCCC. XV. Ludouico Pio regni & imperii ipſius potiente.

## CAP. VII

Ludouicus Pius Francorũ rex XVIII.

LVdouicus, a clementia morum & religione, Pii cognomentum adeptus, & ſi multa præclara liberaliter & ſancte geſſerit, haud tamen ad eandem uitæ amuſſim filios traducere potuit, ſingulare inconſtantis & lubricæ fortunæ ludibrium. Nam ſub patris mortem ab Aquitania Aquiſgranum conten

dens,

dens, diuerſarũ gentium legationibus auditis, concilium ibidem congregans, Epiſcopos nouarum rerum authores, mitius cum eis agendo, cœnobiis incluſos uita donauit. Tandem a filiis captus, tanquã in Carolum natu iuniorem propenſior eſſet, imperium eiurare cogitur. Sunt qui prodigalitatẽ illius in cauſſa fuiſſe dicant. Alii Iudith uxoris ſuæ impudiciſſimæ adulterium incuſant. Quicunq; igitur nouercantis fortunæ inſultu concuteris, huius Regis calamitate attenta, patientię facilius ſtudebis, quem maximum Imperatorem & Regem, om̃i uirtute nobilitatum, cum coniugis adulterium, tum filiorum ſumma impietas immodice ſuggillauit. Verum q̊d ignis auro, id tribulatio præſtat uiro iuſto. Virtus etenim in infirmitate perficitur. Eueniunt item plærunq; maximi æſtus, ut gratior ſubſequens habeatur ſerenitas. Tandem tumultuante optimo quoq; Ludouicus a filiis facti pœnitentibus, e cuſtodia liber dimiſſus, honori & authoritati reſtituitur. Quibus non multo poſt functus, partito prius filiis imperio & regno, anno imperii XXVII. Moguntiæ uita migrauit, Metis ſepultus, cuius mortẽ ſolis deliquiũ, ac Cometes pręceſſiſſe dicitur. Tres ſuperſtites liberi huic Ludouico fuere. Lotharius natu maximus, quem uiuens adhuc pater, imperii ſocium ſibi delegens, præter Italiæ & Romanum regnum, ea Auſtraſię regni portione, quæ Moſæ ac Voſago in

*Concilium Aquiſgrani celebratur.*

*Ludouicus liberatur.*

*Lotharius III. Rom. Imperator.*

Lotharingia

teriacet, potitur, quam a ſuo nomine Lotharingiã uocauit. Carolus natu minimus, a Moſa flumine uſq; a mare Gallicum Francigenis imperat, Ludouico tota Germania, Sueuia ſcilicet, Bauaria, Carinthia, Stiria, Auſtria, Carniola, Miſſia, Thuringia, Haſſia, Morauia, Bulgaria, Saxonia, & Selandia, uſq; ad mare Lybicenſe hæreditati ceſſerũt. Ne ue ullus ipſorum Regio titulo careret, conuentum eſt inter eos, ut Lotharius Romanorum Imperator, & Carolus Francorum Rex, Ludouicus uero Germanorum ſeu Bauarorum Rex diceretur. Item, q̃ poſt hac futuris temporibus qui Galliæ Celticæ dominaretur, Francorum regio nomine gauderet. Ad eam quippe ætatem ſoli Francorum, id eſt, Teutonicorũ ac Germanorũ Reges eo titulo gloriabantur, quod Francorum & Germanorũ uoculæ re ipſa nil diſcordabant. Iidem enim Germani qui & Franci. Celtæ præterea, ſi exactius rem intueri uoluerimus, non Franci, ſed Francigenæ nominẽtur. Vnde legentes Sigebertum Francorũ Regem, diui Galli monaſterium erexiſſe, Gallum quendã id egiſſe arbitrantur, quum tamen is Germanus, & Germanorum Francorum Rex fuerit. Ludouicus primus & ultimus Rex Bauarorum, nulla prole auctus moriẽs, Lotharium regni ſui inſtituit hæredem, qui in complures principatus, Marchionatus, Lantgrauiatus ac Comitatus eas terras, ut hodie cernitur, diuidens, di-

Ludouici Bauarorum Regis potẽtatus

Soli Germani Franci.

Celtæ Francigenæ, non Franci.

Ludouicus, Bauarorum Rex I. Lotharius ſucceſſor II.

uortio

uortio ab uxore ſua Himelgarde in pago Erſteyn ſepultæ, ſeparatus, monachali habitu, tędio rerum aduerſarum, ut opinantur, affectus, diem clauſit extremum. Ludouicus ſecundus Imperator, Lotharii filius, uiuenti patri conſors regni imperiiq; efficitur; quare defuncto genitore, cum fratre ſuo Lothario, cui ex patris teſtamento Auſtraſię pars, quæ Lotharingia dicitur, obediebat, imperii gubernacula adminiſtrantes, quum ſine liberis diſcederent, Carolum Caluum patruum Francorum Regem habuere imperii ſucceſſorem.

*Ludouicus II. Imperator III.*

## CAP. VIII.

LVdouico II. mortuo, ſumma imperii ad Carolum Francorum Regem, minimũ Ludouici Pii natum redierat, quanq̃ Ludouici Bauarorꝝ quondam Regis filii, hunc bello laceſſentes, ſibi imperiũ uendicare conarentur. Quibus contritis, Carolus Caluus a Iohanne Pontifice coronatus, ueneno a Sedechia Medico Iudaici ſanguinis dato, obiit anno regni Francorum XXXIIII. Nobilitatur hic Carolus multorum extructione monaſteriorum, quæ in diuini cultus augmentũ ſparſim in Galliis & Italia ſumptuoſe erigi curauerit. Ludouicus Calui filius, patre fatis ſublato, Francorũ regni habenas obtinuit, qui Balbus a linguæ impedimento dictus eſt. Is apud compendium naturæ concedens anno ſalutis DCCC. LXXX, relictis duobus filiis, Ludo

*Carolus Caluus Imperio potitur, demum ueneno perit.*

*Ludouicus Calui filius, XX. Francorum Rex.*

uico Nil Faciēte, et Carlone, quos ex honeſta puella ſed non ex iuſto matrimonio ſuſceperat. Huius Ludouici interitum ſecuta eſt uaria rerum Francorum ſeu Francigenarum mutatio, tumultuantibus hinc atq; illinc diuerſarū partium ſtudioſis. Ludouicus etenim & Carlon Ambiani cōuenientes, paternum regnum inter ſe partiuntur, Ludouico Francorum regnum, cum omni Neuſtria, Carloni Burgundia cum Aquitania cōceſſa eſt. Ludouicus poſt aliquot bella Turonis morbo correptus, ſine liberis moriens, fratrem Carlonem regni habuit ſucceſſorem. Quo regnante, Normanni ex Germaniis Campaniam inuadunt, multis urbibus ac templis direptis ac incenſis. Quibus incommodis indignatus Carolus Imperator, eius nominis III. cognomento Craſſus, aduerſus hos barbaros & Chriſtiani nominis hoſtes, ex Vuormatia, ubi palatium Regium habebat, inſurgit, & egregio nixu præliās, Normannos ſternit, occidit, fugatq;. Carlone ab humanis exempto, filius eius Ludouicus paternum decus accepit. Hunc ob inertiam, Nihil Facientē appellabāt. Nulla enim re inſignior habitus eſt, q̄ quod Veſtalem uirginem, cuius amore deperibat, ex cœnobio quodam abductam, uxorem accepit. Cuius inertiſſimi Regis ętate, Normanni denuo Franciam crudeliter inuadunt, quæ cauſſa fuit plæriſq; ſacerdotibus & uiris religioſis oratoria ſua relinquēdi, ac alio tranſferendi.

*Ludouicus Balbi filius, XXI. Rex Francorum.*

*Carlon Rex XXII.*

*Ludouicus nil faciens, XXIII. Rex Francorum.*

ferendi. Hoc Ludouico mortuo, Carolus Simplex Regio Francorũ diademate inſignitur, quem nonnulli iam dicti Ludouici filium fuiſſe aſſerũt, alii ex Ludouico Balbo genitum affirmãt, qui quum ſine fuco & fallatiis uiueret, Simplicis cognomen meruit. Hic Alginam Anglorũ Regis filiam uxorem ducens, ex ea Ludouicũ ſuſcepit.

*Carolus Simplex Francorum Rex XXIIII.*

A Rollone Normanno Deorum cultore bello laceſſitus, obtulit ei Stillę filiæ matrimoniũ, ea conditione, ut ab armis diſcederet, & Chriſtianũ dogma ſuſciperet. Accepit Rollo conditiones pacis, & in dotem Neuſtriam, quæ mox a Normannis colonis Normannia dicta eſt.

*Caroli Simplicis cum Rollone conditiones.*

*Normannia unde dicta.*

Francorum regno tot, tamq; atrocibus incurſionibus deſolato, proceres regni Regis inertiam ac puſillanimitatẽ accuſantes, ac ab eo deficientes, quaſi Regem non haberent, de alio eligendo conſulunt. Eligitur Radulphus, Burgundię Ducis filius. Carolus Simplex ab Heberto in uincula coniicitur, Ludouico Caroli Simplicis filio, cum Algina matre ad Anglos cõfugientibus, Carolus Simplex in carcere moritur.

*Radulphus Rex Francorum XXV.*

Radulpho item poſtquã duodecim annos regnaſſet, e uita migrante, Franci Ludouicum Caroli Simplicis filium ad regni gubernacula reuocant, redeuntẽ Regiis faſcibus adornãt, qui Ottonis Romani Imperatoris primi eius nominis germanã uxorẽ ducens, duos ex ea ſucipiendo liberos, Lotharium & Carolum, uariis bellorũ agitatus procellis, raro

*Ludouicus, Caroli Simplicis filius, XXVI. Francorum Rex.*

proſperam fortunam ſentiens, Remis extremum diem clauſit, Anno ſalutis humanæ DCCCC.LX. ſuperſtitibus, quibus dixi, filiis. Quorum Carolus priuatam uitam Bruxellis egit. Lotharius qui nihil illa perſona dignum geſſit, niſi ꝙ contra Normannos, & Ottonem auum profectus, reduxit exercitũ parũ decore. Moritur nulla prole auctus, ac Remis in eadem æde qua pater ſepelitur. Robertus Gaguinus Lothario filium fuiſſe, Ludouicum nomine, adſtruit, patriꝗ; in regno ſucceſſiſſe, breui tamen ſine liberis mortuũ. Quocirca Carolus iam dicti Lotharii frater regni gubernacula tanquã legitimus heres recuperare tentauit, ſed ab Hugone Capeto cuſtodiæ mãcipatus, propoſito fruſtratur, nec aliquis poſt Lotharium ex Carlingorũ ſtirpe Regio Francorum ſceptro admittitur, Hugone Abbate, cum cæteris regni proceribus, in nobilium Francorum Germanorum ſtirpem, quæ ad annos ferme quingentos & ſeptuaginta bellicoſiſſimos ac uictorioſos diuini honoris zelatores Reges & principes Gallis ædiderat, conſpirantibus. Hic Hugo animi magnitudine & rebus potẽs, & natione Gallus (quem Pariſiorum Comitem fuiſſe aiunt) quum nemo conatus ſuos reprimeret, animo tumens, ut peculiare Gallorum ingenium eſt, ui atꝗ; armis regni ſe diademate inſigniri extorſit, primus Francorum Regum natione Gallus. Quotquot ẽm hunc præceſſerunt, ex Fran

*Lotharius, XXVII. Francorum Rex.*

*Ludouicus, Lotharij filius, XXVIII. Rex Francorum.*

ex Francorum Germanorum ſtirpe originem, ueluti diximus, traxere. Hunc Hugonem quidam Abbatem cognominarunt, quod cum Roberto Pariſiorũ Comite, primus relicta monachis & ſanctimonialibus prædia prouentuſq; occupauerint, ea ſibi ſuiſq; militibus attribuẽtes, ſeq; Abbates appellantes, atq; impartientes monachis prout uolebant, adhibito uictus ac ueſtitus moderamine. Quod ingenium Gallis quibuſdã nec hodie deeſſe audiuimus, quũ aureis & argenteis diuorum ſtatuis, calicibus, cæteris præterea precioſis uaſis ſacro uſui deputatis belli tempore parcatur nuſquã, om̃ia in æs conflantur, quo Martialis populi ſtipendiis ſatisfiat.

*Hugo Francorum Rex primus, natione Gallus.*

*Hugo quare Abbas dictus*

## CAP. IX.

SEd ne Siculis guerris, aut Perſicis nugis uaniora ſcripſiſſe uideamur, dictorum noſtrorum teſtes citabimus haud repellendos. Fauet in primis ſententiæ noſtræ Lupoldus, in eo quem de Imperii iuribus ſcripſit libello, Francorum Reges Germanos fuiſſe, teſtimoniis perſuadens luculentiſſimis. Nec deſunt opinioni noſtrę, Euſebius, Rhegino Abbas Godefridus, Francorum annales, Platina, Sabellicus, Robertus Gaguinus, & quotquot Francorum Germanorũ meminere. Firmiſſimo demum munimẽto nobis futurus eſt Chriſtianus ille Maro Mantuanus Baptiſta, quem Cyclopædiam abſoluiſſe ne

*Lupoldus.*

mo dubitat, cui quoq; nihil non hiſtoriarum perſpectiſſimum fuiſſe liquido conſtat, qui in diui Dionyſii uita, de Francorum Germanis Regibus ita cecinit.

Baptiſta Mantuanus.

Poſtquã Roma diu Gallos poſſederit, arma
In noua iurabunt Franci, Germanica proles,
Si genus inſpicias hominum, Troiana propago
Regnaq; tranſmiſſo uenient in Gallica Rheno.
Pharamũdus Hos inter Regale decus Pharamundus habebit
Primus, & hinc ueniet ſeries longiſſima rerum.
Clodoueus. Quintus ab hoc Clodoueus erit, qui falſa relinquẽs
Numina, noſtrates primus libabit ad aras.
Hic erit ille, Deus cœli cui mittet ab alto
Cœrulei breue uas olei, quo tempora Regum
Gallia profundat, pater hoc dignabitur illos
Munere præ reliquis uenturi Regibus æui.
Quartus ab hoc magna tibi relligione ſuperbum
Ponet opus, nomen Regi Dagubertus, & amplis
Dagubertus Sumptibus educet cœlo ſublimia templa.
O quantos olim, qualeſq; habitura triumphos
Iſta ſub imperio Chriſti Germanica proles.
Semper clara quidem, ſed tum clariſſima, quando
Pipinus Pufillus. Regia Pipinus ſumens inſignia, priſcos
Excludet regnis Ephoros, & liber habenas
Pacis & armorum plena ditione tenebit.
Carolus Magnus. Carolus hinc, cui maieſtas non Regia ſolũ,
Sed titulis auguſta nouis, cui nomine Magno,

Maior

Maior erit uirtus, cui ſumma potentia, & ingens
Relligio, qui res hominum clementer, & æqua
Lance gubernabit.

Et reliqua carmina, quæ in Caroli Magni laudẽ eadem pagina ſcribuntur, ſedulus lector requirat. Libro item tertio eiuſdem carminis, Hugonem Capetum Gallorum ſtirpe creandum, electum iri prædicit.

Sed tamen hæc Regum ſeries inſecta redibit
Ad Gallos tandem, quum ſceptra receperit Hugo, *Hugo Capetus primus Gallorũ Rex*
Non genus a Francis ducens, ſed origine Gallus,
Illuc uſq; dabit tellus Germanica Reges.

Quid hoc carmine propoſito noſtro accommodatius? Quo manifeſtario, omnes Francorum Reges, uſq; ad Hugonem Capetum Germani fuiſſe perhibentur. Nec ſuſpitionis alicuius Mantuanum facile argues, quum Italus Gallo & Germano æque faueat, nudæ ueritatis aſſertor.



CAP. X.

QVis igitur tã ſocors, adeoq; cõſilii inops, qui illuſtres & nobiliſſimos ſacri Romani Imperii electores nõ aurum habere, ſed habentibus impera

re petentes, Germanæ libertatis amantiſſimos, ea uel impudentia, temeritate, aut incõſyderatione arbitretur, ut ullis pollicitationibus, pecuniis aut fauore corrupti, iuriſiurandi ſacramento poſthabito, quempiam Gallum ſuffragiis ſuis uacanti præficiant imperio? Genuinum certe Alemannorum in Gallos odium uehementius renititur. Nobilis inſuper Germania multo cruore iampridem aſſertæ libertati aſſueta, ſeruile Gallorũ iugum ſubibit nequaquã. Quantam etenim crudelitatem hæc Gallorum gens in uictos exerceat, Alſatia olim ſub Ludouico Delphino experta, obliuiſcetur nunquã. Qua inſuper iniuria uictores Galli uictos afficiant, multi Germanorum ſub eius gentis ſtipendio militantiũ perdidicere. Sunt præterea Germanis illuſtriſſimæ ac generoſæ domus principum ac Comitum fœcundiſſimæ, e quibus Romani regni uacantis Regem deligere queant, quas & prioribus ſeculis Auguſtos non pœnitendos dediſſe, Germanorum Ephemerides indicant. Quis Archiducalem Auſtriacorum principum ſobolem hac maieſtate indignam cenſebit? Quæ a Rudolpho ex Comitibus de Habsburg, eius familiæ primo Romanorum Rege, non paucos Teutonibus Auguſtiſſimos & Imperatores & Reges proferens, diuum quoq; Maximilianum nuper, non citra totius Germaniæ ſingularem luctum, terris ereptũ, ad triginta ferme tres annos

*Ludouicus Delphinus.*

*Archiduces Auſtriæ.*

*Maximilianus.*

Romani

Romani ſceptri gubernatorem enixa eſt. Cuius obitum grauius ferendum cenſeremus, ni illuſtrium principum, ſacri Romani Imperii Electorum, Germanæ Reipublicæ optime cõſulentium, ſolerti prudentia & integritate, diuino inſpirante numine, potentiſſimũ Dominum Carolum, Archiducem Auſtriæ &c. dũ hæc ſcriberemus, in aui paterni Regiũ decus electũ accepiſſemus, cuius regnorũ, potentatuum, ac diuitiarũ amplitudini nemo Chriſtianus Rex conferat. Quẽ toto Chriſtiano orbe pacato, & Romanæ Eccleſiæ monſtroſo ſtatu in melius reformato, ferociſſimam immanium Turcarum gentem oppreſſurum, ac Chriſtianæ religionis ſuauiſſimo iugo facile ſubditurum dubitamus minime, modo nec ueneno, nec alio quouis morbo immatura morte (quod Dii prohibeant) inimicorum inſidiis hominem exuat. Cui proculdubio Caroli Magni ueſtigiis innixuro, totus orbis olim acclamabit: Carolo Auguſto, a Deo coronato, Magno & pacifico Imperatori uita & uictoria. Cuius in Romani regni ſolium ſublimationi nemo Germanorum non congratulatur, quod ab auita probitate ipſum nequaq̃ degeneraturum ſperemus. Magno itaq; præconio ſacri Romani Imperii, illuſtrium principum Electorum Adamantina fidei integritas toto orbe extollatur, qui ambientis Gallorum Regis, auro & pollicitationibus poſthabitis, Germanæ libertatis memo

*Carolus.*

*Laus principum Electorum.*

res, Teutonici ſanguinis principem, Romano, ut decuit, præfecerunt Imperio, cuius nutu, auſpiciis, & remigio Chriſtianæ Eccleſiæ iam aliquot annis uariorum fluctuum procellis agitatæ, tutiſſimo nũc portu, ſuccurſum iri nihil hæſitamus.

## CAP. XI.

NOn deerunt, ſcio, Germaniæ maſtyges naſum Rhinocerotis in morem torquẽtes, cur Gallos Reges tam procul a Romani regni faſcibus abigendos clamitemus oblatraturi, primariis trium Archiflaminum ſacri Romani Imperii Electorũ ſedibus, Nantuantibus item, Heluetiis, Rauricibus, Tribochiis, Nemetibus, Vangionibus, Moguntiacis, & Vbiis ſatis ampla Romanæ ditionis portione Galliarum nomini ſubiectis. Indignum quippe uideri, Gallum Regem uſq; adeo a Gallis contemni. Quorum frigidiuſcula argumenta, probatiſſimorũ ſcriptorum teſtimoniis circũſepti, facile diluentes, præfatos Moguntiacos, Vbios, & cæteros, non Gallos immo uere Germanos eſſe oſtendemus, quando omẽs Germanica lingua utẽtes, ſemper Germanos Agathius. fuiſſe apertiſſime indicat Agathius, aſſerẽs illos Galliarũ maximã poſſediſſe partem, nõ propriã, ſed ui, & in poſterũ occupatã. Tranſtulerũt igitur Teutones Galliã in Germaniã: partim ſubmotis, partim Hieronymus occiſis habitatoribus. Quod diuus quoq; Hieronymus in

mus in Epiſtola ad Gerontium his uerbis teſtatur: Remorum, inquiens, urbs præpotens, Ambiani, Atrebatę, extremicꝫ hominum Morini, Tornacus Nemete, Argentoratus, translati ſunt in Germaniam. Adſtipulatur diuo Hieronymo Eutropius, qui Atrabates, Ambianos, Menapios, Veromanduos, Conduenſes, Eburones ſuo æuo Germanos fuiſſe affirmans, Auguſtum quadringentas captiuorum chiliades ex Germania tranſtuliſſe, & ſupra ripam Rheni in Gallia collocaſſe, teſtatur. Cui rei maiorem fidem conciliauit, quæ in ſecundo belli Gallici libro Cæſar in literas retulit. Germanos, dicens, cis Rhenum Belgis uicinos, & plęroſcꝫ Belgas ortos eſſe a Germanis, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi cõſediſſe, Galloſcꝫ qui ea loca incolerent, expuliſſe. Subſcribit opinioni noſtræ Strabo, quarto Geographiæ ſuæ libro. Tribochi, inquiens, natione Germani, relicto natali ſolo, Rhenocꝫ traiecto ſedes poſuerunt. Imperator præterea Agrippinenſes, qui & Vbii, in Germania inferiori dicit Italici iuris eſſe, ut eſt apud Iuriſconſultos L. i. ff. de cenſib. Ammianus itẽ Marcellinus Coloniam Agrippinam ampli nominis urbem eſſe, in Germania refert. Hoc idem de Treueri quam domicilium principum appellat. Inſuper & in prima Germania præter alia municipia Moguntiacos, Vangiones, Nemetes, & Argentoracos lo-

Argẽtoratũ

Eutropius.

Cæſar in Cõmentarijs.

Strabo.

Ammianus.

Cornelius Tacitus.

cat. Cornelius Tacitus de ſitu Germaniæ, Tribotes, qui & Alſatæ, Germanis interſerit: quibus Nemetes, hodie Spirenſes: Vangiones, hodie Vuormatienſes, Vbios quoq;, nunc Colonienſes annectit. Quod ſi minus momenti apud quoſdam uerba mea habuerint, doctiſſimorū ac integerrimorū uirorum, Iacobi Vuimphelingii preceptoris noſtri Germaniam, ſermones item conuiuales de mirandis Germaniæ antiquitatibus Conradi Peutingeri pellegant; proculdubio, niſi deſipiant, ſcriptis noſtris aſſenſuri.

## CAP. XII.

Hercules Aegyptius. Gerion. Aleſia. Galate.

NOn neſcimus ueteres Romanos communi Gallorum nomine cū Germanos, tum Gallos comprehendiſſe, ad Galatæ Regis dominatum forte reſpicientes, quem Hercules Aegyptius aliquot ſeculis ante Troianum excidium bello aduerſus Gerionem moto, in Celticam ueniens, Aleſia ciuitate ibidem condita genuit, qui Galate adultior iam factus coęuos ſuos tam animi uirtute, q̄ uiribus excedens, uirilem ætatem ingreſſus, paterno regno ſuſcepto, plures propinquas oras ſibi ſubdidit, ſicq; præclaris rebus geſtis, omnes a ſuo nomine Galatas appellauit, unde & omnis ea regio illi ſubiecta, Galatia dicta eſt, quam Romani figurate, at, ſyllaba intercepta, Galliam dixere. Teſtis eſt Diodorus Siculus

Galatiā. Gallia. Diodorus Siculus.

Lib. vi.

Libro ſexto, ubi & magnos fluuios per Galatiam; id eſt, Galliam labentes enumerãs, nominatim Danubii ac Rheni meminit, quaſi in Galatiam profluentium. Huius Galatarum Regis Beroſus quoq; in decimoquinto libro mentionem facit. Herodotus præterea Danubium in Celtis oriri ſcribit, quem tamen ex ſupremis Hercyniæ ſyluæ montibus deriuari conſtat, quod Græci Celtarum uocabulo Germanos & Gallos indiſcriminatim nominauerint, quæ tamen contra nos contorta iacula, ut minus ualida, reiicimus, quod iis noſtris lucubratiunculis uetuſta & abolita, illa Galliarum appellatione reiecta, de ea duntaxat loquamur, quæ Rheno flumine, cæteriſq; limitibus a diuo Iulio præſcriptis, contenta, Germaniam a ſe diſcretam habens, in tres partes, Aquitaniam uidelicet, Celticam, & Belgicam ſecatur, pro uulgi opinione, quotquot Gallias inhabitant, ac illorum duntaxat lingua utuntur, Gallos appellando, quorum neminem Germanis unquã imperaſſe iamdudũ probauimus. Studeat igitur ſummo conatu hæc Gallia bellicoſum Germaniæ populum, ſine quo nihil glorioſæ uictoriæ unquã ex hoſte retulit, maxima beneuolẽtia ſuſpicere, nulla uerborum contumelia, ueluti hactenus & ſacræ Cæſareæ maieſtati, fœliciſſimæ recordationis, & Germanæ plebi mendicitatis probrum crebrius obiectum fuit exacerbare, ſeq; de illorũ uel imperio uel regno

*Beroſus.*
*Herodotus.*
*Galliæ partitio.*

nihil prorſus ingerere, ne oculatiſſimi pauonis, inuictiſſima Iouis alite obumbrati, ductu & auſpiciis tota denuo in Germanias transferatur. Huius quidem potentiſſimæ ſacræ Romanorum Regiæ ac Catholicæ Maieſtatis uictricibus Aquilæ ſignis, nihil eſt quod obſtare poſſit, modo diuina prouidentia triſeclis Socratica ualetudine nobis ſuperſit.

## CAP. XIII.

OBiicies forſan nobis Ottonem Friſingium recentiorem hiſtoriographum, nõ uno loco tantum Spiram Nemetenſium urbem in Galliis ſitam eſſe aſſerentem, nullius culpandũ erratus, quod & Geographiæ & geſtarum rerum peritia ætate ſua polluerit, cum quo tamen ex diametro præcedens caput pugnet, affirmans Nemetenſes haud Gallos, ſed ueros eſſe Germanos. Paulus item Diaconus, Argentuariam Galliarũ oppidum nuncupat. Vnde liqueat, Tribotes ac Raurices Galliarum eſſe populos. Non diffitemur ex Iulii Cæſaris terrarũ partitione, Vbios, Moguntiacos, Nemetes, Tribochios, Raurices, cæteroſq; Voſagi accolas in Galliis ſitos, uerum ob id minime Gallos eſſe cenſendos. Vere etenim Germani ſunt, moribus ac uita nihil commune cum Gallis habentes. Nec mirum cuiq̃ uideatur, ſi Germani Gallias inhabitant, ad quod plæriq; reſpicientes, quicquid terrarum Germani

etiam in Galliis incolebant, Germaniam ab his co-
lonis uocauere: quo pacto Nemete & Argentora-
tus Germaniæ ciuitatibus adnumerantur. Diuerſis
igitur rationibus Nemeten modo Galliarum, mo-
do Germaniæ urbem dicere potueris, etſi parum re
ferat, an Germanus uel Gallus ſis, modo uirtute
polleas: nullum etenim genus hominum,
inquo uirtus eniteat, faſtidiatur.

IN OPVSCVLORVM SVORVM
commendationem, Hieronymi Gebuileri Ar
gentuarienſis, ad Sacratiſſimum ac Catholi
cum Cæſarem Carolum V. Decaſti
chon Elegiacum.

Sit labor hic noſter tibi Sacratiſſime Cæſar
Acceptus, fratri complaceatq; tuo.
Barbaries inculta tuas haud pergrauet aures,
Poſſumus haud omnes omnia, crede mihi.
Aurea Regales exornant pocula menſas,
Fictilibus uaſis ruſtica caſa nitet.
Flumine pertenui non doctus nare lauatur,
Horret at immenſam non Palinurus aquam.
Affectum pluris re pendito more tonantis
Munera qui recipit diuitis atq; inopis.

FINIS.

# ERRATA.

D pri. facie pri. imaginem, lege imagine.
Eodem facie ij. occidit, lege occiditur.
E iij. facie ij. circa finem, pluſq;, lege pluſq;.
F ij. fa. i. nequeuntes, lege nequientes.
F iij. fa. i. circa finem Ita, lege Itam.
O iij. facie ij. tyrannus, lege tyrannis.
P i. fa. ij. linea ultima, Regem, lege gregem.
Eodem fa. ij. pro uenter lege uel.
P iij. fa. i. pro mulierum lege multorum.
Eodem, facie ij. pro actum lege auctum.
Q i. fac. i. pro aduentu lege aduentum.
R i. fa. ij. pro ne ue lege uæ uæ.
X iij. fa. i. pro omnem lege omnium.
Z iij. facie pri. pro Vualchiſæ lege Vualchiſi.
Ibidem, pro Ebroinis lege Ebroini.
Ibidem, pro Chriſtianum, lege Chriſti.
BB i. fa. ij. linea vi. auum, lege auunculum.

Haganoæ, ex officina Iohannis Secerii.
Salutis anno M. D. XXX.
Menſe Auguſto.

HIERONYMI GEBVILERI
ad Lectorem Tetraſtichon, Elegiacum
carmen.

Hoc nos inſigni donauit Maxmilianus
Cæſar, uirtutis cultor & ingenii.
Huic igitur grates acturi, ſtemma uetuſtum
Illius hoc libro ſcripſimus ac ſobolem.



SPECIAL 85-B
11164

GETTY CENTER LIBRARY